DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

AEGRORUM EXAMINIS METHODO ET CAUTELIS,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS,

ANNO MDCCXXXI. D. MART.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI

SUBJICIET

AUCTOR RESPONDENS

CHRISTIAN. SIGISMUNDUS Richter,

HALENSIS - MAGDEBURGICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

Caput Primum

De necessitate Examinis in statum ægrotantium, ejus conditione & requisitis generatim.

§. I.

MEdici rationalis in eo princeps vertitur officii cardo, ut morbos non præservet tantum, sed & præsentes congrua arte amoliatur. Hæc congrua morborum præservatio & curatio multum tacite supponit. Utrumque fieri nequit sine solidissima caussarum cognitione. Ubi quidem in morbis præcavendis facilius proceditur, dum sufficit plerumque theoretica tantum caussarum, quæ morbos inducere varie valerent, scientia, ex qua, quid omittendum huic vel illi individuo, quid suscipiendum, formatur consilium. Posterius vero, nempe morborum curatio practica, res est difficilior & longe momentosior. Neque enim caussæ ita constanter & ordinate occurrunt, uti quidem in libris conscribuntur, nec, quod plus est, ita cadunt in sensus, uti hauriuntur ex auctoribus: sed tantum earum caussarum certi effectus ab ipsis producti, qui medicis audiunt symptomata, & a quibus desumuntur morborum signa.

§. II.

Effectus hi, ut ut sensibus obvii, ita tamen comparati sunt, ut nec constanter ab eadem caussa morbifica iidem producantur, sed valdopere sæpe differant; nec proinde semper eandem caussam supponant, cum unius effectus plures possint esse caussæ e. g. spasmi, epilepsia, lipothymia, apoplexia, febres, sub certis effectibus ceu signis occurrunt, caussis interim eorum occultis, quæ possunt esse diversissimæ. Quare nec ex horum pathematum signis & symptomatibus ad certam caussam concludere sine erroris metu medico licet. Sisto exemplum. spasmus producitur per & propter plethoram, sed non semper. Hinc, si quis in quolibet spasmo plethoram tanquam ejus caussam hariolari vellet, magnum sane erraret errorem. A multis enim adhuc aliis efficitur. Defectus ipse sanguinis spasmum generat. Sic in vicem versam,

 pletho-

plethora est spasmorum caussa, spasmi autem forte sub malo hypochondriaco-hysterico in hoc vel illo individuo, reliquum tamen plethorico, non adeo adsunt, sed majoribus potius languoribus, artuum gravitatibus, &c. compensantur; si hic quis concluderet, ideo non adest plethora, simili deciperetur modo. Plethora enim præter spasmos centum alios effectus inducit.

§. III.

Adeoque in aprico positum est, effectus morbosos vel symptomata non constanter de hac vel illa caussa specifice testari. Sic angustia pectoris, spirandique difficultas, non semper arguit caussam sanguineam, congestionis humorum ad pectus. Præter ea caussæ morborum dantur tacitæ, leniores, occultæ, ejusdem genii effectus, vix conspicuos, crassos sensus ne quidem ferientes, successivos eosdem inducentes.

§. IV.

Symptomata insuper morbis accedunt & effectus diversissimi, nec ab ipsa inhærentis morbi caussa producti, qui accedunt tantum ab aliis alienis caussis, a morbo primario remotis, nec in ipso sæpe corpore hærentibus v. g. in initio febrium acutarum sæpe vehementer instant nausea & vomitus, non ex caussa febrili, sed ex incongruo in hoc statu regimine, potu frigido, membrorum neglecta obtectione &c. quale quid præcipue in purpuratis, petechialibus &c. observatur. Iam si quis medicus arcessitus & de hoc effectu sollicitatus, ex præsentia vomitus judicare vellet, ideo caussa morbi consistit in vitio primarum viarum; siquidem hoc symptoma tunc præ reliquis maxime urgeret & valida salina, acria, stimulantia, vel plane emetica, aut purgantia, propinare auderet, in quam quæso incideret una cum ægroto miseriarum charybdim. Et sic facile confusio etiam inter symptomata & caussas ob earum variam cum aliis complicationem contingere potest, & revera contingit, si solis phœnomenis, in sensus incidentibus, fidem haberet medicus, nec altius statum morbi scrutaretur. Ut alias plures considerationes omittam.

§. V.

Generaliter jam ex his patebit paullulum pensitanti necessitas examinis in statum ægrotantium, ut ipse medicus, quantum fieri unquam potest, accuratissime in singula morbi symptomata, phœnomena, accidentia, eorundem connexiones, caussasque inquirat, præsentia sic examinet, ponderet, inter se conferat, ut morbus nullo modo confundatur, de absentibus autem metuat, probabiliter suspicetur, aut, quando ab ægrotis, uti sæpe fit, non recensentur, in ea inquirat; quo cum sufficienti ratione, bona conscientia & fundato judicio morbi suscipere queat curationem, neque ex falsis suppositis signis,

mor-

morbum falſum, falſamque habeat cauſſam, falſum ſic ſe ipſum & ægrotum.

§. VI.

Eo magis a parte medici illuceſcit neceſſitas practicæ hujus inquiſitionis, ſi præterea ſpecialiſſime conſideretur, quantum medicus in ſe habeat obligationis ratione conſcientiæ; quippe graviſſimam reddet Deo rationem, quicunque ex imperitia, pigritia, negligentia, neglecta accurata morbi penſitatione, ſua ſic culpa ægrum trucidat. Fama & fortuna medici fere tota inde dependent. Et, quomodo medicus, ſi requiratur, ſub medicorum aliorum concurſu, ſuam de morbo mentem explicabit, niſi ejus ſtatum probe ante habeat cognitum, quomodo ſe defendet, ſi in lethali eventu, ejus accuſetur reus, & interim ſub cura habuerit attentiſſimos inſpectores, niſi & ex minutiſſimis morbi circumſtantiis, genio ac indole, ſuam palam faciat integritatem ut demonſtret primo, quis morbus fuerit, idque ex obſervatis ſymptomatibus probet, deinde, quid pro cauſſa habuerit, quæ huic cauſſæ poſuerit remedia, demonſtret cauſſæ veritatem ex phœnomenis ſingulis, & ultimo fatalis eventus culpam omni juſta ſpecie ex ſe devolvat. Nonne meretur talis medicus, qui ſine inquiſitione ſtatim in curam ruit, & idem facit, quod iniqui judices, qui ante, quam de cauſſa bona aut mala clientum cognoverint, ſtatim ab executione inchoant, & poſt hanc primum, in mentem venire ſinunt cauſſæ ſcrutationem, imprudentis, incauti, temerarii, nomen. Empirice, eoque pejus, impie agit & proterve, quisquis ſine accuratiſſimo Examine ſtatus ægrotantium, curam ſuſcipere audet, aut nonne vanus eſt, rudis & indoctus, qui plebejorum & vetularum ad inſtar cogitet, quod in quibusvis morbis polleat præſtantiſſimis remediis, quæ & ſine inquiſitione, ipſa cauſſam morbi inquirerent & curarent.

§. VII.

Medici, vel per multos annos practici, hoc examine ſuperſedere nequeunt, nedum, qui recens plane inchoat praxeos arduum exercitium. Pro vano, arrogante, inconſiderato, & medicinæ parum gnaro nonne habendus eſſet, qui ſibi aut aliis perſuaderet, ſe tantam artem callere, ut ſine multo examine, ſtatim illico, quaſi oculis lynceis ad intimos latitantes corporis receſſus pervagantibus, totum internum & externum patientis ſtatum exhaurire valeat. Er könne dem Patienten alles anſehen, wiſſe, was ihm fehle, habe nicht nöthig viel zu fragen, darin beſtünde eben die Kunſt. In quem cenſum etiam conjiciendi ſunt, qui ex urina ſola ſciole, temere & glorioſe geſtiunt omnem corporis labem hariolari ſanitatisque vitia.

§. VIII.

Verum quidem eſt, & ambabus largior, dari morbos, dari caſus, ubi non adeo operoſa inquiſitione opus eſt; ſed neque tamen hoc, ſcilicet cura ſine præmiſſa inquiſitione, ſine vitii nota conceditur, & ſupponi poteſt, niſi in talibus, qui ex multiplici, quotidiana, concatenata, nec interrupta praxi caſuum ſimilitudinem, copiamque acquiſiverunt pariter ac in genere experientiam. Juniores medici etiam in levioribus morbis in omnes circumſtantias inquirere debent, quia non tot caſus ſimiles ſecundum plurima phœnomena in animo habent, nec adeo in perſpiciendis omnibus brevi & quaſi momento rerum connexionibus exercitati eſſe poſſunt. Hinc tales omni reprehenſione digni, qui illico, ac vocantur ad ægrotum, poſtquam ejus querelas animo vix quidem attento perceperunt, ſtatim ad chartam confugiunt, & medicamina propinant. Ipſi ſe adſtantibus reddunt ſuſpectos.

§. IX.

A parte patientis autem non minus neceſſitas huius examinis clara eſt, & demonſtratu facilis. Conſtat primo, multos morbos fingi, ab infantibus, pueris, adultis, & ab his ob varias ſæpe cauſſas & fines. Medicus arceſſitus, ſi hunc fictum morbum pro vero habet, nec inquirit, ut debet, hinc ex miris geſticulationibus varia periculoſa nuntiat, multis medicamentis inſiſtit, anxium ſe præbet ac operoſum, primum agit in caſſum. Deinde, nonne ipſis his fictis ægris præcipue adultioribus, aſtutis utplurimum, ſuam imperitiam & imprudentiam clariſſime deteget, qui nihil ægrotantes, ipſum certe riſu, & admiratione excipient; & hoc eo magis & ab aliis ipſi accidet, ſi vel ægroti putati ſponte, aut coacti dolum detegant, vel ab alio medico vocato, ſi medicamenta figmenta curare non poſſunt, eoque attentiore detegatur. Nonne habebit, de quo ſuffundatur rubore, ibi nec valebit; Ey wer hätte das dencken ſollen. Omnino cogitare debuiſſet, & potuiſſet, ſi inquiſivisſet in ea, quæ morbi præſentiam declarant accuratius, nec oculos ſolos & aures habuiſſet teſtes omni fide maiores, tunc irridebitur ab ægroto ficto ſimul & ſemel ſano, ab adſtantibus, irridebitur a medico fictionis detectore, irridebitur ab aliis. Pariter a multis diſſimulatur morbus & ægri ſymtomata vel negant, vel occultant, ac firmiores haberi volunt, quam revera ſunt, ad minuendum liberorum, cognatorum, parentum, coniugum, amicorum mœrorem. Adfectant adpetitum, vires, hilaritatem animi. Si his omnibus medicus fidem haberet, fide medica non foret dignus, qui ſe & alios falli pateretur. Sæpe ægroti patientiores non multum conqueruntur, & ſi medicus non plus ex iis quæreret, quam confitentur, male actum foret de ægro.

Ejus-

Ejusmodi certe individua medicum ſæpe etiam de reliquo adæquatum reddere poſſunt ſecurum. Sic multi nihil laborare perſuaſi, medicamenta renuunt, & inſtant, der medicus möchte ſie doch mit Artzneyen verſchonen, es fehle ihnen nichts; ubi certe neceſſitatis eſt, ut medicus ſollicite inquirat, an etiam morbi talis ſtatus ſit, qualis putatur ab ægrotis; alias ſi petitis talium, præcipue ſub febribus, annueret & medicus omni bona fide, ſine fide morbi eventum adduceret calamitoſum. Medicus potius inquirat, an hoc vel illud bene ſe habeat, quomodo in hoc vel illo actu natura ſe gerat &c. & ſic demonſtret ægroto periculi latitantis gravitatem. Ægroti ſæpe neſciunt, quid ipſis deſit, nec loqui poſſunt, adſtantes etiam nihil aliud proferre ſciunt, quam, ſie wüſten nicht, wie es mit den Patienten zugehe, was ihn ſo überfallen. Idque quo magis metu, timore, anxietate perculſi, cauſſarum & circumſtantiarum mentionem iniicere nequeunt. Si & hic medicus, quid quærere debeat, vocatus neſciret aliud, quam audiverit ex ægroto, rerum foret ſtatus profecto in anguſtiſſimis. Ulterius hoc explicari poſſet, ſi permitteret inſtituti ratio, nec res perſe loqueretur.

§. X.

Non ſufficit autem ad inquiſitionem, vt eam tantum ante curam inſtituat, ſed examinandus eſt æger ante curam, in cura, & poſt curam. Non ſufficit, vt medicus in generalia ſignorum, cauſſarum generalium, reliquique ſtatus conſtitutionem in genere, inquirat, ſed praecipue in periculoſis, acutis malignis febribus in omnes circumſtantias vel minimas, quantum fieri poteſt, ſpecialius & ſpecialiſſime examinet, non ſemper verbis ſolum, ſed & ſuis oculis, auribus ſtatum tacite ægrotantis hauriat. Unicum ſæpe adeſt morbi phœnomenon, quod a medico præter viſum totam curam protrahit, ne dicam ſæpe ſubvertit. Nec ſufficit ſolius morbi perveſtigatio in tali caſu, ſed requiritur ſtatus etiam externi, in quo æger verſatur, examen, an inſtructus ſit ſufficienti cura, an ita ſit comparatum cum eo, ut in debito regimine ſe continere queat, quales habeat ipſum curantes, an etiam illi ſint iuſtæ conditionis. Es kommt das meiſte in gefährlichen Kranckheiten auf die Wärter mit an. Examinandi proinde ſunt famuli, miniſtri, chirurgi, clyſteres qui adplicarunt, & cognati. Præcipue quando æger præ impotentia non multum loqui poteſt, & dum illi, qui ipſum magis circumſtant, de morbi mutationibus, varioque patientis habitu eo curatius debent & poſſunt cognoſcere, quam medicus, qui per vices tantum accedit. Paucis: examinanda ſunt ſingula, quæ ullo modo ad patientem attinent, & ad eius vel curam, vel poſitive, vel remotive, vel in tantum facere videntur in morbis arduis gravi-

bus.

busque. Quemadmodum hæc ex ulteriori dissertationis deductione patebunt.

§. XI.

Requisita medici, qui examinare debet, sunt omnia, quæ supponuntur in medico pio conscientioso & erudito. Dijudicari ferè exinde medici potest & solet scientia & diligentia practica, si ipsum audias inquirere in statum morbosum. Hæc enim inquisitio eo maiorem supponit medicam cognitionem solidam, firmam, ac propriam, nec mutuatam, quo magis illa est extemporanea. Exposcit maiorem dexteritatem, maius exercitium, hæc casuum resolutio ex tempore instituenda, maiorem præterea iudicii habitum ex circumstantiis vel certo vel probabiliter concludendi requirit, & mentis præsentiam, quam illa, quæ fit in charta, vbi nec tempore destituitur sufficienti medicus, nec reliquis adminiculis, ubi etiam multi libri ac commentarii evolvi possunt, & ex iis de statu morbi aliquid transcribi, licet quidem sæpius cum ipsius medici concurrente vel ignorantia, vel ambiguitate.

§. XII.

Nec proinde hæc examinandi ars in statum ægrotantium adeo levis, trivialis ac facilis res est, quæ ex aëre quasi captari possit, nec multa indigeat opera ac exercitatione; sed sua sponte hic examinandi habitus, ceu assa columba in buccam, ita in mentem veniat, als wenn es sich so von sich selbst gäbe. Utcunque etiam medicus sit & eruditus & optimis instructus qualitatibus, junior tamen sub praxeos initium haud parum inveniet in cognoscendis morbis secundum omnes circumstantias difficultatis, in quo sæpe & exercitatiores habent, quod desudent. Dictum enim superius est, non uti traduntur ab auctoribus vel peritissimis, signa, caussæ ac phœnomena morborum, in individuis, juxta concatenatum ordinem occurrunt, concurrunt, in eadem serie ac numero; varie potius cum aliis miscentur, alia forma & specie morbi sæpius obveniunt, & innumeris modis in clinica praxi diversi reperiuntur. Facile, credo, foret, si febres, purpura, congestiones ac molimina hæmorrhagica & reliqui adfectus semper sub iisdem accurate signis se manifestarent, regulares nunquam non essent, ita uti traduntur in libris, facile esset examen, si caussæ morborum sic semper constantes, eodem ordine in individuis adessent, facile foret, si morbi soli simplices, nec complicati, medici provocarent industriam; facile, inquam tunc multis modis foret examen: sed rerum status longe aliam exhibet faciem, & magna requiritur circumspectio in magna morborum varietate, complicatione, a regulari norma aberratione, magna prudentia in veris morborum caussis adæquate & judiciose

de

detegendis, magna opus eſt animi exercitatione & præſentia. Propterea etiam multi teſtantur experti, quod, licet omnia præcepta theoretica & theoretico-practica, omnes cautelas & occurrentia phœnomena circa morbos ex docentis ore, & ex libris, ſufficienter ſe hauſiſſe ſibi perſuaſerint & cogitaverint, praxin iam ſibi rem fere facillimam, poſthæc tamen ad clinicam individualem tendentes, iuxta ægrotantium lectum non aliter fuerint adfecti, ac ſi parum didiciſſent, aut nihil. Hic certe medicum terrere poſſunt patientis anxiæ geſticulationes, clamores, gemitus, periculi iuſta ſuſpicio, quin præſentia, adſtantium in ipſum ſæpe acriores inſtantiae, metus exinde animum capiens. Quid? quod deficiens habitus, & uberioris praxeos caſuumque defectus, morborumque longe alia facies, quam quæ compingitur in compendiis, confundere medicum ſolent: vbi non illico in mentem anxietate diſtrictam veniunt, quae audita ſunt, quae lecta &c. ut ſæpe medicus junior prae confuſione & ſymtomatum intricató ſtatu neſciat, quis morbus ſit, & quid primo ſuſcipiendum, ne dicam, quid inquirendum. Patet profecto & ex hoc ultimo neceſſitas, ut ante, quam quis praxin in ſuos humeros capiat, aliorum practicorum exercitiis interſit, diſcat, quomodo inquirendum ſit in ſtatum aegrotantium, diſcat animi continentiam, adſueſcat in ſumma confuſione ſuas ordinatus ſeruare cogitationes, ne deinde haereat aqua, & ipſe ex confuſione & confuſo examine ægrotis, aut tamen adſtantibus, examinandi ipſum praebeat occaſionem de cauſſa conſternationis, confuſionis; aut ipſis ſuas internas turbas prodat, illique de eo poſtea judicent, er weiß ſich nicht zu helffen, es iſt ihm allezeit Angſt, wenn er zu einem Patienten geruffen wird, man kan es ihm recht anſehen, er thut ſehr wunderliche confuſe Fragen, kömmt gantz aus dem Geſchick, muß wol ſeiner Sachen nicht recht gewiß ſeyn. Et ſic pluribus, quam neceſſarium ſit ipſum examen in genere, tum etiam quantum interſit, ut methodum examinis probe, quisquis praxin ſibi optat, cognitam antea efficiat, poſſet deduci, ſi mihi hoc loco concederet inſtituti ratio. Pergo potius ad proximum propoſiti finem, explicaturus pro virium facultate, quomodo aegroti ſint examinandi, quomodo inquirendum in ſtatum morboſum. Ubi quidem integrum volumen ſufficeret, ſi monſtrari deberet, quomodo in unoquoque morbo inſtituendum ſpecialiſſime ſit examen; id quod prohibent diſſertationes cancelli. Fontes proinde tantum indicabo, equibus generatim examinis quæſtiones in omnibus morbis hauriri poſſunt ac debent, atque exinde quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, ſecundum diverſas

circumstantias inquirendum sit, explicaturus. Pergo hinc rupta omni mora ad

Caput II.

De examine circa morborum diagnosin instituendo.

§. I.

Quicunque suscipere intendit morbi cujusdam curationem, de ejus sane præsentia certus sit, necesse est. Præsentiam autem morbi varii quidem designant effectus ceu signa a læsione tanquam caussa, inducti. Quare ex variis alterationibus actionum animalium, vitalium, & naturalium morbosi adfectus hauriuntur præsentes, ex varia mutatione pulsus, respirationis, mutationes proportionatas se- & excretionum post se trahentis, adpetitus, nutritionis, &c. phantasiæ judicandique actus, varia alteratio judicantur status ordinarii, cum ex justa horum omnium conditione sanitatis præsentis sumatur indicium. Verum quanquam certum est, singula ista, satis certo de morboso statu testari, quando quocunque modo ab individuorum statu naturali, multum deflectunt; experientia tamen docet, quod sæpius subjecta has læsas actiones esse simulent, cum tamen læsæ non sint. Sic fingunt dolores, adpetitus prostrationem, spasmos, anxietates præcordiorum & similia. Quis nescit, pueros sæpe ob castigationis metum, tædium scholæ, pigritiam, malitiam, fingere tormina ventris, dolores quoscunque alios, motus spastico-epilepticos? Quis nescit adultos sæpe etiam eosdem morbos fingere, fingere se surdos, mutos, mente captos aut stupidos, feminas fingere graviditatem ejusque varia accidentia? & hæc quidem diversis ex caussis non tantum a plebe & illis, qui mala perpetrarunt, simulantur, sed & ab individuis nobilioris stirpis propter varios politicos fines, morbi finguntur. In tali fictione medicus nisi prudentem se gerat, uti superius jam dictum, suo omni conatu efficiet nihil; sed famam ac existimationem periclitabitur, si operosus foret in multa medicamentorum ordinatione. Individua adultiora sæpius impetrato fine celeriter convalescentia, medicum ipsum risu & vultu, scurrili increpant, ob er es denn gar nicht mercken können, daß es Verstellung gewesen. Præterea ejusmodi ficti ægroti medicamina respuunt, aut cum summo interno in medicum, sensu medico cœcum, tædio sumunt, & cum nullius usus sanitatem morbi larva incrustatam medicamine tentare, operam sic oleumque perdit medicus. Quamobrem in tali statu ubi suspicionem fictionis præbere possunt variæ circumstantiæ, quantum fieri potest, prudenti modo, habito

habito individuali respectu, studeat detegere, quæ simulantur & sic inquirat, an morbus adsit verus aut fictus, fictus in totum, fictus in tantum?

§. II.

Ad fictionem detegendam varia inservire possunt adminicula, quorum tamen aliqua saltem exempli loco in scenam traham. Sic primo ponderet ætatem ægroti, statum prægressum, circumstantias morales, animi indolem, vitamque anteactam, & in quo articulo positæ sint res illius, qui ægrotum se simulat, caussas morbi talis scrutetur, an in indiuiduo, pleraeque nisi omnes non quadrent. Deinde an morbus etiam talis sit, qui fingi possit, sic febres lipothymiæ, apoplexiæ, suffocationes strangulatoriæ &c. a fictione magis sunt alienæ. Quis enim fingere poterit pulsum celerem & frequentem, quis horrorem verum febrilem cum tetro torvo & cadaveroso illo vultu febrili finget, quis sensuum abolitionem finget, respirationem quis adeo continebit, ut fit in lipothymia & syncoptica motuum cessatione. Posthæc videat, an reliqua pathemata in morbo, quæ fingi vel plane non, vel certe non diu possunt, adsint. Sic in morbis convulsivis ac epilepticis simulari possunt jectigationes membrorum, spumae agitatio ante oris confinia, stridor & conclavatio dentium, pollicum intra pugnum contorsio, & reliqua similia. Sed quemadmodum in vera epilepsia sensus omnis perit sub paroxysmo; ita in ficto morbo, ubi ille non perit, vix poterunt dissimulare eius praesentiam; quando ipsis excitetur sensatio molesta. e.g. per punctionem cum acu sub plantis pedum paullo seriosiorem & aliis locis sensibilibus, ubi tamen caveat medicus, ne barbariem exerceat, quando forte verus morbus subinde accederet. Sic & quorundam fictio cognita fuit per narrationem vel actionem rerum, quae aptae fuerunt ad movendum risum, quibus talis simulatus æger ad subridendum commotus fuit, cum verus ægrotus nihil audivisset. Sic quorundam surditas detecta fuit recensione variarum rerum, quae ipsos potuerunt terrere & in metum conjicere. Postmodum etiam symtomatum conditionem attendat, an & omni parte talem habeant habitum, qualis solet esset sub vero præsente morbo; id quod medico attento, docto, & qui historiam morborum callet, non ita erit difficile. Patientis & reliquum statum ponderet, quomodo se habeant actiones sub adfectu, quae non diu & constanter fingi possunt, quomodo sibi constet adpetitus ciborum potuumque, pulsus quid præ se ferat, quæ sit se-& excretionum, quas retinere aut immutare nequit, conditio, quæ sit animi alacritas, & sic varia circa sermonem, gestus, & motus voluntarios post affectus paroxysmum observabit; Quomodo dormiat, quid agatur cum facie, oculis, naribus & reliquis sensibus. Si finguntur e. g. dolores

lores & hinc exclamant, varias prætendunt anxias gesticulationes, ex subdolo pectore sæpe altos protrudunt gemitus, hic medicus peritus & prudens facili poterit percipere, an hæc sint coacta, an ex vero doloris sensu procedant. Longe certe alia vox est, alia corporis continentia, ubi dolorum atrocia torquet, quam quæ fingitur malitioso dolo. Facies sola sæpe, oculorum motus, tractus faciei (die Mienen) monstrant rei falsitatem. *Vid. Stahl. Disp. de facie morborum indice.* Inquirat & medicus in ægrotum per indirectum, ut ipse non percipiat, quis ipsi animus sit, ac quasi dolum sentiret, symtomata producat & signa morbi hujus falsa, eumque studeat quæstionibus stratagematicis ac captiosis circumducere, daß er sich worinnen verschnappen muß. Aliis injungat, ut se absente sollicite observent patientis gestus, actus, quid desideret, an euphoria simultanea succedat, an pathemata simulata forte ipse ex oblivione fingere cesset, injungat, vt eum excitare vario modo studeant, loquantur cum eo, accersant alios, de quibus nullam habere potest suspicionem, quasi illi essent scrutatores status &c. multisque aliis modis studeat explicare fictionem. De morborum fict. *vid. Dn. D. Præsidis Jurisprudent. medic. Tom. I. Part. I. cap. X. p. 196.* sufficit interim hoc generalissime hic attigisse de fictionibus morborum & methodo eas detegendi.

§. III.

Jam vero qui morbos fingunt, medicum aliosque sæpe adeo possunt securos reddere, ut, vero morbo accedente, eum non statim pro vero agnoscant, sed primum etiam pro ficto; unde aliquando accidit, vt talis æger in vitæ incurrat periculum, imo occumbat, ante quam morbi gravitas fuerit cognita & observata, Quare cum satius sit ab ægroto simulante, quum a morbo dissimulante decipi, caute agendum circa fictionis declarationem 1) ne pro fictione habeatur, quod non est fictum, & statim hinc judicio nervoso ac firmo distinguat medicus secundum ductum fontium ac signorum, quando eo tempore in eodem individuo fictio non adfuerit. Si quis, vt clarius reddatur exemplo, sæpe fingit capitis dolores, anxietates, virium prostrationes, & hæc fictio sæpe detecta fuit: fieri potest, ut idem subjectum revera aliquando hæc symtomata incurrat ex accessu cujusdam febris adhuc latentis, & tacite molientis. Hic si medicus eandem fictionem subsumere vellet, insuper habita inquisitionis industria, juberet eundem incongruis pro nunc modis tractari, & ad surgendum, obambulandum, laborandum adigi, prout forte sub præsentia fictionis factum fuerit, quid hic efficeret boni? Cum præcipue sub initium febrium acutarum malignarum sæpe non adeo statim omnibus viribus spoliati sint ægroti, quo minus sua perficere possint negotia,

daß

daß sie gleich zu Boden fallen möchten. Tale in petechizantibus, petechialibus veris sæpe accidit, ut ægroti usque ad eruptionis exanthematum tempus septimum diem extra lectum commorentur, sed cum summo ipsorum periculo. Constat, multos usque ad tertium morbi diem in plateis obambulasse, & hoc ipso morbi auxisse periculum, de quo, satis subsequens lethalis eventus fuit testatus 2) opus est, ut fictum a vero, si concurrit (quod sæpissime, adeo, ut aliquando ægrotantes ipsi nesciant, quid ficti aut simulati addant,) probe discernat, nec exinde adfectum majorem aut minorem judicet, quam revera est. Sic sæpe ægrotantes euphoriam fingunt nimiam, quæ licet in tantum adsit, eo tamen gradu a medico haberi nequit, quam fingitur ab ægris, ut consolentur adflictas suorum mentes, medicum ipsum erigant, vel alias ob caussas 3) caveat ne fictionem detegendo, odium vel ægroti vel aliorum sibi concitet præcipue in personis nobilioris sortis. Sufficit medico, si fraudem percipiens exinde dirigere suas res possit, prouti requirit necessitas; nec ex una parte a ficto morbo terreatur, ac risui exponatur, nec ex altera propalam in faciem dicat; es sey Verstellung, vnde pro homine minus praeculto haberetur.

§. IV.

Et qu s crederet, nisi quotidiana loqueretur experientia, nonnullos animi valde sensibilis, feminas præcipue luxuriosa imaginatione superabundantes, ex nimia animi sensibilitate, ob quam ex levissimis gravissimi momenti præsumunt pericula, morbum sibi præsentem imaginari. His v. g. si vel digitus doleat, aut si leviori quodam cutis pruritu tententur, mox exinde gravia pathemata subesse aut adesse hariolantur, cum tamen nihil revera adsit morbosi dignum medica curatione. Ita & multi sibi imaginantur febrem, quos ex quacunque leviori caussa, morali magis quam materiali, aliqua incessit horripilatio, aut quibus subinde in tantum immutatur pulsus ratione frequentiæ, alii sibi imaginantur podagram ex levioribus fibrarum musculorum in pedibus vibratione vel tensione; alii quando forte qualitercunque ordinarius vividus faciei color immutatur, oculi, nasus, labia a constitutione ordinaria vel parum deflectunt, mox se pro ægrotis habent, phthiseos, hecticæ, latitantis, aut nescio cujus gravissimi augurium inde capiunt. Quando mens vel parum turbatur, daß sie nicht so aufgeräumt sind, excretiones sudoris, urinæ, alvi, muci per nares in tantum mutationem subeunt, musculi leniter in fibris suis crispantur mox imaginatio ipsis morbi pingit ideam: quamvis vbique nihil adsit, quod morbi nomen mereatur. Exinde etiam fit, ut sibi varia symtomata molesta, fingant, & de iis medico conquerantur. Et sæpius certe

cum imaginationis magna vis sit, hac sola sibi accersunt, nisi veros morbos, tamen varios vanos terrores, angustias internas, pallorem faciei, pulsus mutationes & sudoris anxii eruptiones. Qua de re variæ lepidissimæ proferri possent historiæ, si tractatum magis, quam dissertationem conscribere animus esset. Medicus autem etiam in tali casu, ne decipiatur, prospiciat, & inquirat, an morbus sit verus vel imaginarius, in quo eo felicius succedet, si statum secundum omnia signa probe examinet, & videat, an etiam revera illæ actiones, quæ sanitatis integritatem testantur, læsæ sint, vti fieri solet in veris morbis. Ac si in tantum deflectant a naturali, quod fieri potest ex imaginatione, ut pulsus, respiratio, se & excretiones aliam exhibeant faciem; videat tamen, an & ad eum gradum alterata sint, ut exinde verus morbus judicari possit & quemadmodum in tali statu alterata deprehenduntur. Præterea reliquas omnes circumstantias, quæ circa adfectum imaginarium alias, si re ipsa urget, occurrunt, sollicite ponderet. Ubi itaque medicus certus est, quod individuum ex imaginatione solum laboret, incumbit ipsi, quovis modo declarare, quod nullus adsit morbosus affectus, & hoc secundum rationem ægroto imaginario explicare annitetur. Er wird es dem Patienten suchen aus dem Sinn zu reden. Proinde & animi potius vitium corrigere, mentemque erigere ex metu studebit, quam multis medicationibus pharmacevticis corporis labem, quæ non subest, sanare in cassum annitetur.

§. V.

Remota iam omni fictionis & perversæ imaginationis suspicione, medicus si revera morbum adesse cognoscit, primum est, ut inquirat, quis sit morbus, quo gradu & qua prognosi invaluerit? Hoc nunquam negligendum est. Maxima etenim morborum varietas est ac diversitas. Qui morbi, licet pertineant generaliter ad adfectus vel humorum, vel partium solidarum, vel motuum, omnes tamen inter se specie valdopere discrepant, ratione sedis, symtomatum, periculi, tractationis practicæ, & vel centum aliis modis. Quodsi hinc medicus hæc non exacte dignoscat, & quidem non teneat ante omnia, quis sit morbus, neque caussæ ejus cum ratione poterit instituere cognitionem, neque, ad quod tamen totius rei summa redit, ejusdem suscipere cum bona conscientia curationem. Et quanquam hæc tam clara videantur, ut qui de his multum differere vellet, soli adfundere lucem appareret: in aprico tamen positum est, toto nihilominus die circa hæc impingit & multos ægrotis præscribere medicamina, antequam, quis sit affectus, certo constet, daß sie drauf loß curiren, ohne zu wissen, was es vor eine Kranck-

heit

heit sey. Unde etiam fit, ut unus morbus confundatur cum alio, fingantur morbi, veri prætervideantur, falsi autem cum magno curentur studio; & hinc remedia, præsenti adfectui haud quadrantia, vel sine effectu propinentur, vel plane non sine insigni deleterio damno. Hinc videas etiam ejusmodi cœcos ac sinistros morborum curatores interrogatos vel a medicis vel ab aliis, quis sit morbus, nescire fere, quid respondeant, neglecta, vel per negligentiam, vel ignorantiam, vera morbi diagnosi. Quare recensent tantum symtomata quædam, quæ ægrotum maxime agitant, & urgent. v. g. er habe grosse Schmertzen im Leibe, dabey Hitze, Aengstlichkeit rc. aut summa morborum genera innuunt, es sey eine spastische Kranckheit, eine Schwäche der Nerven bey dem Patienten. Quæ symtomata omnia tamen generalia vel centum aliis specialibus adfectibus, inter se quidem diversissimis, juncta deprehenduntur. Et si talis defectus aut confusio in diagnosi committatur sub morbis acutis malignis incipientibus, res ferme est conclamata; nec postea valet excusatio, die Kranckheit fieng sich gantz anders an, als ein hitzig Fieber, wer hätte dencken sollen, daß dergleichen solte darhinter stecken. Hi enim morbi, quo magis tacito incedunt ingressu, & symtomatibus lenioribus stipati sunt, non adeo ordinariam pulsus, sensationis &c. constitutionem turbantibus, eo majorem in diagnosi solertiam requirunt. Si quis in petechialibus, petechizantibus, inchoantibus cum insigni languore, lassitudine, & gravitate artuum, pulsu debili &c. in symtomatum languore, in sensus fere cadente, acquiesceret & hinc putare vellet, es sey blos ein Schwächung der Natur, der nervösen Theile; atque ad excitationem, roborationem, varia tonica, stomachica calida, volatilia propinaret, lernam sane malorum pararet. Hæc autem morborum diagnosis quam necessaria, tam etiam ardua est & difficilis. Hæc etiam credo plurimum negotii junioribus practicis facessit, circa quam ipsi & expertiores multum impedimenti inveniunt; quod quidem tot dissensus medicorum, si de morbo convenire debent, abunde testantur. Ubi morbus adeo sæpe intricatus & complicatus est, ut non illico constet, pro quo ille sit declarandus. Quum autem nunquam sine morbi diagnosi vel vera, vel saltem probabili curatio incipienda sit, suadent hinc practici experti omnibus ac singulis, ut in casibus dubiis ac implicatis aliorum exercitatiorum consilia mentemque sibi potius expetant, quam suscipiant aliquid, circa quod ipsi hærent ambigui cum ambiguo eventu.

§. VI.

Sed ne nimius sim in illis, quæ per se jam cuivis facile patent, nec pro-

prie

prie ad meum ſpectant propoſitum, pergo potius ad rem ipſam, ut quantum fieri poteſt, ſuccincte explicem, quomodo inſtituendum ſit circa diagnoſin examen, & quæ circa eandem obſeruanda veniant. Primum conſtat, morbum ejusque praeſentiam cognoſci non poſſe, niſi quatenus per certa ſigna & ſymtomata ille ſe prodit. Hæc ſymtomata vel ſunt ſenſationes moleſtæ aut quæcunque præternaturales aliæ vel læſiones reliquarum actionum in ſenſum ægroti utplurimum, non ſemper tamen medici incurrentes. Quare & medicus, utut diu patienti adſtiterit, non tamen cognita poterit habere pathemata plurima, niſi ex confesſione ægrotantis, quippe qui ſentit & ſcit, quid male habeat, quid doleat, ubi doleat, quæ ſit doloris indoles &c. Hinc & medicus ad patientem vocatus, ſi ille loquendi poſſidet facultatem, ante omnia ex ipſo expiſcetur morbi indolem, & quid deſit, quæ ſentiat, exploret. De eo enim, quod revera eſt, non quod eſſe posſit, quæſtio inſtituenda eſt: Et ubi rei veritas haberi a medico poteſt, in totum rejiciuntur otioſæ conjecturæ; es könte wol diß oder das ſeyn. Admonendi proinde ſunt ægroti, ut, quantum poſſunt, ſincere, cordate, diſtincte referant, & ad vivum ſtudeant exprimere, quæ percipiunt incommoda; id quod etiam vtplurimum ſponte faciunt. Non nunquam certos ægrotos ſuperſtitioſa capit perſuaſio, quaſi medicus omnia ſcire poſſet ex ipſorum ſolo obtutu, wenn er ſie nur ſähe, reden hörete, ut exinde etiam fere parum, aut nihil medico confiteantur. In hac falſa opinione non ſunt relinquendi, ſed proponendum ipſis eſt, quam neceſſarium ſit, vt omnia detegant, & recenſeant, quam periculoſum ſit & anceps, ſi quicquam occultent. Multo autem minus ipſe medicus ex ambitioſa mente negligat patientis ſermones audire, nec eos interpellet, ut ſpeciem habere velit ſublimioris judicii, ingenii, quin divinationis. Caveat & medicus ſub narratione ægrotantis ab omnibus indignis geſtibus, incongruo riſu, & aliis ejusmodi actionibus, quae parum fiduciae ipſi conciliant, ſed patienter omnia hauriat & omni ſtudio agat, ut patiens perſuaſisſimus ſit, medicum maxime eſſe præſentem & attentum. Quando autem nimis diffuſus eſt æger in ſua narratione, aut aliena plane immiſcet, ad rem non pertinentia, cum omni humanitate ac modeſtia aberrantem in rectam viam reducat; ipſe propterea ſermones patientis, proprie morbum attingentes, brevius collectos in quæſtiones redigat & ſecundum præcipua ſymtomata examen inſtituat, patientique ſimul dicat er habe nun zur Genüge gehöret, wie es ſtehe, bäte er möchte nun, um deſto beſſer hinter die Sache zu kommen, ihm auf ſeine Fragen antworten. Sic omnem in devia evagandi occaſionem proſcindet.

§. VII.

§. VII.

Dantur autem caſus, ubi ægri vel non poſſunt, vel nolunt morbi ſui ſtatum genuino modo medico declarare. Prius obſervatur ſæpe vel in ruſticæ vel alius conditionis individuis ſtupidioribus, ex quibus ſubinde nec verbum cohærentis ſenſus elici poteſt. Nullum ſervant ordinem, mox aliquid adſerunt, mox idem contraria narratione confuſa negant, & vix non ſumma imis commiſcent, ita, ut medicus nihil exinde certi ex eorum confeſſione de ſtatu morbi capere queat. Neſciunt tales ſuas exprimere ſenſationes, dicunt, ſie wüſten nicht zu beſchreiben, was Ihnen fehle, ſie könten es nicht alle ſo behalten, es ſey gar zu viel. Ipſi præterea non attendunt ſub ipſo adfectu præ ſtupiditate aut animi confuſione ad adfectus veram invaſionem & decurſum, nec præter craſſos ſenſus incidentes effectus, dolorum, vomituum, ſitis, vigiliarum, quidquam in tantum retinent, & medico ſatis lepide narrant. Quod præcipue fit, ſi de paroxysmis febrilibus, eorum mutationibus, ac ſymtomatibus, rationem reddere debent. Ita etiam moroſi dantur ægri, qui ſæpe multum medicum faceſſunt, ſi e. g. ejusmodi individuum laboret moliminibus hæmorrhoidalibus difficulter ſuccedentibus & ex motibus irregularibus reſtringatur ſanguis ſupra ventriculum, atque exinde adpetitus & concoctionis inducatur vitium, aut plane conjunctus vomitus urgeat, ſolam ventriculi accuſant debilitatem. Der Magen ſey bey Ihnen nichts nütze, ſie haben keinen Appetit, ſie wolten was für den Magen haben, & præterea nihil ſciunt, aut volunt, proferre. In tali cauſa medici eſt, ut ſublevet defectum hunc, in omnes circumſtantias ipſe inquirat, ſtatum prægreſſum, ſymtomata ponderet, & ſecundum varias pathognomonicas differentias per quæſtiones ſcrutetur, an vomitus e. g. vitium ventriculi, aut congeſtionem ſanguinis in hoc ſubjecto arguere poſſit. Proinde etiam ex iis expiſcetur, ob ſie nichts weiter fühleten, & ſi de certo morbo probabilem ſuſpicionem fovere integrum eſt, ejus ſigna ipſe proferat & quærat; ob nicht auch diß und das dabey ſey? ob ihnen nicht auch ſo und ſo zu muthe? aut alia methodo ac modo ſtudeat ex conſideratione vitæ generis, ætatis, temperamenti, conſuetudinis &c. morbum probabilem efficere, in quem poſtea ulterius ſecundum ſignorum ſpecialium fontes eo facilius inquiret.

§. VIII.

Pari modo etiam haud infrequenter accidit, ut ægrotantes præ debilitate inopinata, ſumma & præ ſymtomatibus graviſſimis plane loqui nequeant, nec medico de ſuis ærumnis, licet vellent, exponere poſſint. Auditur in talibus nil niſi gemitus, nil apparet præter anxias geſticulationes, jectigatio-

nes, quale quid obſervatu obvium eſt in adfectibus ſpaſtico-convulſivis, hyſtericis, ſtrangulatoriis, ſuffocantibus, ac vocem omnem intercipientibus, in adfectibus hypochondriacis, præcipue ſuffocatione hypochondriaca, colica hæmorrhoidali &c. multo magis ægroti extra omnem confeſſionis ſtatum ponuntur in lipothymiis, ſyncope, catarrho ſuffocativo, apoplexia frequenter ſtipata cum ſenſuum internorum ſumma diſturbatione & amolitione. Et hæc omnia eo ſunt intricatiora, quando ægri ſoli ſunt & reperiuntur e. g. in itinere, platea & aliis locis, ubi nemo ſub invaſione adſtitit, qui de circumſtantiis medico aliqualem reddere poſſet relationem. Quid ergo hic conſilii? quod modo detegendum eſt, quis ſit & qualis morbus? In illo quidem caſu, ubi ægrotus ſermone omni caſtratus, non tamen adſtantibus deſtituitur, medici eſt, ut quantum poteſt, ex his hauriat, quomodo morbus invaſerit, quomodo habuerit ſe æger ante invaſionem, in quo ſtatu verſatus fuerit, & ejusmodi alias circumſtantias, quæ ipſi occaſionem morbum cognoſcendi ſuppeditare poſſunt. Nec etiam ipſe ægrotus ſymtomatibus deſtitutus eſt, quæ itidem ſollicitiſſime ponderet, ſiquidem diſcernere poterit, an illa a motuum exacerbatione aut defectu producantur, an maxime pectus & organa reſpirationis oppreſſa ſint, an Spiritus interceptus, an oculi vel clauſi vel aperti, an leniter, an celeriter moveantur, quis ſit ipſorum color, quis obtutus, quæ facies in genere &c. & ita niſi ſpeciem morbi ſtatim, genus tamen non adeo longe remotum ſine multa difficultate invenire poterit. Patiens autem ipſe, ſi ſenſibus non eſt orbatus, audire, videre, percipere & ſe movere poteſt, quærat ex eo, an dolores urgeant, ubi doleat, ut ſaltem digitis demonſtret locum doloris, aut capitis nictu indigitet. Proinde plures adducat quaſtiones de ſtatu morbi ejusque probabili ſpecie, examinet pulſum, colorem naturalem, & reliquas actiones. Quæ omnia eo inſerviunt, ut exinde medicus ipſe morbi ſigna colligat & defectum confeſſionis ægroti ita ſuppleat. Procedendum eodem modo eſt, ubi e. g. in delirioſis, mente captis, nihil propriè cohærentis, cui & fidere poſſit, confeſſionis ſperandum eſt, & hic itidem ſymtomata maxime urgentia conſideranda, & tam ex his, quam ex reliquis circumſtantiis ſecundum probabilitatem medicam concludendum. In infantibus non minus adeſt confeſſionis defectus, quare præter ſymtomata & læſiones actionum præcipue vitalium ac naturalium examinandæ ſunt matres, nutrices, aut qui ipſorum gerunt curam.

§. IX.

Quemadmodum uti iam dictum, ægrotantes ſubinde confiteri decenter non poſſunt pathemata morboſa: ita in altero caſu e contrario dantur, qui

ſuos

ſuos adfectus medico ſincere confiteri nolunt, & vel in totum ſe ægrotare diſſimulant,vel in tantum latitantem potiorem morbum reliqua plura ſymtomata producentem pertinaciter occultant, ita, ut ſæpe medicus circa diagnoſin non parum inveniat difficultatis ac impedimenti. Occultantur autem morbi varii a variis ob varias etiam cauſſas politicas, aut maxime per pudorem, vel metum, quando adfectus ex malitioſa vita ſibi contraxerunt, ne malam ſibi contrahant famam, præcipue, ubi ſciunt, medicum ab aliis, a magiſtratu, vel parentibus, aut cognatis, ideo requiſitum fuiſſe, vt de ſtatu ipſorum rationem reddat. Quod præcipue in fœminis contingit, quæ graviditatem multis modis ſuſpectam negant, & ſua pathemata pro mere hyſtericis ſæpe ſatis ſpecioſe venditare ſciunt, aut quæ extra conjugium in immodicas, continentes incidunt uteri hæmorrhagias, menſium exceſſivum fluxum; ubi tamen ad eumdem inclinant neque ratione conſuetudinis, vitæ generis, plethoræ, temperamenti &c. Ita etiam varia genitalium vitia, ulcerationes, fluxus ſeminis ſub gonorrhœa, fluor albus, variæ excreſcentiæ in genitalibus venereæ, bubonoideæ &c. non raro celantur, quid? quod fœminæ dantur, quæ pudori ducunt, confiteri medico, ſi ille de menſium ataxiis ſermonem inſtituit, & hinc varias ob cauſſas aut falſa, aut plane nihil certi, proferunt. In talibus caſibus medicus prudenter, modeſte & conſcientioſe individua talia cohortetur, varia ipſis periculoſa prænunciet conſectaria, niſi de ſuis malis cordate exponant, omnem operam fore fruſtraneam &c. promittat ipſis omnem ſilentii fidem, quantum fieri poſſet, & aliis modis eos ſtudeat reddere cordatos; Sin vero neque his quid proficiat, & individua nihilominus pertinaciter ſuos adfectus latitantes diſſimulant, de quibus tamen juſta adeſt ſuſpicio, medicus per varias quæſtiones circa eundem adfectum verſantes indirectas, per allegationem variorum ſignorum ac phœnomenorum, eos capere & expiſcari annitatur, aut alios jubeat attendere, an non hæ vel illæ circumſtantiæ obſerventur in ſubjecto, & quidem ita, ut de eo non percipiant. Multo magis autem hic conſcientioſus ſit, ne quicquam medicamentorum in caſibus dubiis propinet, ullo modo ad nocendum idoneum, v. g. ne, ubi ſuſpicio graviditatis, fortes purgationes,medicamina calida, emmenagoga, ad menſes proritandos, vel ipſe exhibeat, vel ſaltem concedat. Inſuper in tali caſu ſubjectum probe obſervandum curet, ne quid malitioſi ſubdole inſcio medico committat. In genere etiam ſatius eſt, ut ubi indiuidua nihil confiteri volunt, medicus eos dimittat ex ſua cura, quam ut ſine fructu, vel ſæpe cum eximio detrimento, medicamina propinet. Ubi autem a magiſtratu, parentibus, vel aliis, qui imperium habent in individua, urgetur, ut

medicus de ſtatus vera conditione referat, ibi in variis caſibus inſpectiones & oculare examen certarum partium ſuſcipiendum, an illæ in omnibus naturaliter ſe habeant; in quo tamen nonnunquam etiam errores committi poſſunt; ut adeo omnibus modis propria confeſſio individui potior ſit habenda.

§. X.

Hæc itaque quando genuina haberi poteſt, medico certe morbi diagnoſis tantam non pariet difficultatem. Ut autem eo felicius ſuccedat, recenſita ſibi ab ægroto pathemata probe ponderet, & videat, quem in genere morbum indicent, an ſtatum ex vitio humorum, ſanguinis, ſeri, lymphæ, bilis, muci &c. vel ex vitio partium ſolidarum vitium humorum inducente, vel ex vitio motuum, an febris ſit, an ſpasmus, an congeſtio, an defectus motuum? & ſic ſtudeat ad generalem claſſem & genus adfectum referre. Quia autem non ſufficit, ut medicus genus tantum morbi noſcat e. g. an ſit febris, ſed in plurimis morbis quam maxime opus eſt, ut accuratiſſime inquiratur in ſpeciem generis, qualis v. g. ſit febris, qualis ſit congeſtio, an ſanguinea, an becchica, qualis ſit inflammatio &c. neceſſe eſt, ut omnia ſymtomata ſpecialius perquirat, an ſpeciale ſignum pathognomonicum ſpecifice hunc vel illum adfectum indicans reperire poſſit, id quod quidem in adfectibus regulariter decurrentibus e. g. febribus, inflammationibus, congeſtionibus, ab interna cauſſa ortis, ſic ſatis obvium eſt. Quare, ne circa diagnoſin morborum decipiatur medicus, ſymtomata probe examinet, an pertineant ad ſigna eſſentialia vel accidentalia tantum ſint pathemata. Exinde non judicet morbi præſentiam ex talibus ſignis, quæ non ſemper in omnibus individuis, nec in ipſo morbo adſunt, nec ideo primario ejus indicant præſentiam, ſed æque ſæpe abſunt, ac concurrunt; inſuper nec a cauſſa morbi ſemper neceſſario producuntur tanquam effectus, & de illa teſtantur e. g. motus epileptico-convulſivi in infantibus ſæpe concurrunt ſub præſentia vermium, ſed non ſemper, æque ſæpe enim abſunt, ac adſunt, imo quidem nec vermes neceſſario inducunt hos motus, quia multi pueri immaniter torquentur vermibus ſine epilepſia accedente. Nec omnem ſpasmum inteſtinorum, aut eorum vellicationes, convulſiones inducere, toto die demonſtrant illi, qui colicis laborant bilioſis, aut qui dyſenteria torminoſa excruciantur. Hinc ſi quis concludere vellet, in hoc puero adeſt epilepſia, ideo vermes adſunt, fallax ille ſupponeret ſignum, nec minus erraret, qui vermes abſentes judicaret ex defectu epilepſiæ; ſic pariter deciperetur, qui ex ſpasmis inteſtinorum & doloribus malum judicaret hypochondriacum, aut ſtagnationem ſanguinis, cum forte

cauſſa

caussa fuerit retrocedens ad interiora acre serum ob prohibitam transpirationem. Dolores enim spastici intestinorum in malo hypochondriaco æque sæpe absunt, quam adesse observantur; cum stagnatio sanguinis non necessario eos inducat &c. Cavendum porro, ne ex signis, multis aliis adfectibus communibus, specialis morbus judicetur. e. g falsum foret, si quis ex angustia spirandi vitium pulmonum hariolaretur, cum illa & a vitiis viscerum abdominalium & primarum viarum producatur, aut ex spasmis vesicæ, stranguria, dysuria, calculum absolute subsumeret, cum & a suppressis hæmorrhoidibus & mensibus ejusmodi motus circa has partes eveniant &c. Quam ob rem si signa obveniunt ejusmodi, quæ quidem in morbo, quem suspicatur medicus, adesse possunt, & frequenter solent, non tamen semper & constanter, nec omnibus individuis comunia, sed certam dispositionem corporis requirentia v. g. prægravatio pectoris in variolis, & ita sub certis tantum occurrentia circumstantiis; deinde & multis aliis adfectibus communia, nunquam in his solis acquiescat, sed ulterius progrediatur & partim jam cognita symptomata examinet secundum varias differentias pathognomonicas, partim alia inducat ipse; donec aliquod certum ac sufficiens compareat signum, quod non semper in uno phœnomeno hæret, sed ex conspiratione, connexione, ac concursu cum aliis deducendum. Sic v. g. malum hypochondriacum non ex uno hauritur signo, sed multa occurrunt pathemata, quæ conjunctim considerata demum de ejus præsentia certum reddunt medicum. Proinde etiam ubi phœnomenon adest maxime urgens, sed pluribus morbis commune, tunc adfectum certum, qui latitare posset, propius examinet medicus, an etiam illud signum ratione ætatis, status prægressi & temperamenti, adfectum indicare queat, nec minus reliqua ejus adfectus signa ex pathognomia cognita proferat, an illa cum hoc phœnomeno consentiant; sin minus, progrediatur ad alium adfectum, in quo illud pathema etiam sæpe instat, eodem modo instituat examen, donec de eo, quod verum est, satis convincatur e. g. tussis diuturna ac vehemens ita torquet, ut & adpetitus pereat, somnus deficiat, & vires prosternantur. Sæpe ipsi ægroti phthisin arguunt. Sed cum constet primo, tussim non semper esse pectoralem, eandem nec constanter phthisicam, sed & catarrhalem, & a congestis humoribus acribus ortam; deinde etiam, eamdem non raro hypochondriacam, stomachalem, in obstructionibus viscerum, saburris primarum viarum, adesse; medicus hic sollicite inquirat, an hæc tussis sit pectoralis, an ratione ætatis, vitæ prægressæ, ex prægressis congestionibus ad pectus, vel plane hæmoptysi, aut inflammatione pulmonum peripnevmoniaca, inspiratis causti-

cis vaporibus &c. exorta, inquirat in reliqua phthiſeos ſigna, examinet, an per tuſſim quidquam excernatur, cujus indolis, cujus coloris, odoris ſit materia, quibus tuſſis exacerbetur, quibus remediis leniatur, an pectoris adſint dolores &c. quæ omnia aut plurima in individuo niſi adſint, tuſſim hanc pro phthiſica habere non poterit. Quare ulterius alium adfectum inducat v. g. hypochondriacum, ſtomachalem, & per eadem ſigna deducat, ut exinde melius eluceſcat, quid iſta tuſſis portendat. Symptomata autem ſingula præſentia de reliquo ſollicite ſunt ponderanda ratione vigoris, vehementiæ, loci ſpecialiſſimi, durationis, viciſſitudinis, & ſi quid ulterius excogitari poteſt, quod ullo modo ad clariorem reddendam mali diagnoſin ſpectat.

§. XI.

Quando autem jam medicus aliquod verum & certum certi cujusdam morbi pathognomonicum ſignum invenit, quod uti ſuperius dictum, non in uno ſemper phœnomeno hæret in ejus ſolius cognitione non acquieſcat. Siquidem haud ſufficit ad cognitionem diagnoſticam ſtatus præſentis morboſi ſcire, quod hic vel ille adfectus adſit; ſed cum ſæpiſſime accidat, ut præter eumdem adhuc alius plane ſeparatus conjungatur, probe itidem examinandum, an morbus ſolus ſit, an complicatus. Quod ut pateat, omnia reliqua ſymptomata ab ægro prolata, aut a medico detecta, ſigillatim conſiderentur, an illa omnia a morbo, qui jam conſtat, eveniant, an vero ſeparatim alium deſignent. Indicatur autem morbus duplicatus, quando phœnomena plura præſentia ita comparata ſunt, ut uni ſoli adfectui haud quadrent, & ab eo foveri queant, aut, ubi licet cum illo conſpirent, & aliqualem conſenſum habeant, tamen non abſolute ad illum morbum pertineant, cujus ſigna completa jam conſtant, proinde per ſe indicent concurſum alius adhuc cauſſæ morbificæ. Et hæc cognitio morborum ſecundum ſtatum ſimplicem & complicatum maxime ſane neceſſaria eſt, ne medicus medicamentis inſiſtat, uni quidem adfectui de reliquo ſatis commodis, alteri autem eo magis contrariis, qui forte majoris adhuc eſt conſiderationis e. g. fieri poteſt, ut calculi dolores & nephritici concurrant cum febre quadam intermittente, præcipue quotidiana, ſic phthiſis concurrere poteſt cum iisdem febribus, hæmorrhoidalis fluxus cum dyſenteria epidemica, lues venerea cum phthiſi, vel pulmonali, vel renali; hic quisque videt, quantum interſit, ut hæc omnia probe diſtinguantur.

§. XII.

Cavendum autem eſt, ne ſymptomata particularia, ad morbum primarium ſpectantia, pro peculiari morbo habeantur v. g. in malo hypochondriaco-hyſterico adſunt ſæpe in capite, pectore, abdomine & artubus ſimul plura

pathe-

pathemata. Capitis ſymptomata, aut acute doloroſa, aut prementia, aut vertiginoſa; in pectore urget aſthma ſiccum, quin ſpaſticum, tuſſis; in abdomine ſentiuntur flatulentia, dolores in regione lienis, aut hepatis, mox in dorſo, aut lumbis ſentiuntur tractiones, aut plane in artus ſpaſmi diffunduntur: Cum tamen in omnibus illis partibus nihil ſeparati morbi reſideat, ſed ſedes ejus in abdomine hæreat, ut per conſenſum tantum, vel phyſicum, vel maxime motuum, propter unam illam cauſſam pathemata producantur, & ſic ab illo uno morbo hypochondriorum proveniant. Si quis autem tot ſeparatos morbos ſtatuere vellet complicatos, iisque omnibus ſeparatam parare methodum, in quem ille campum evageretur? Cum præterea otioſum foret, ſiquidem omnia illa pathemata non niſi unica methodo, quæ congrua eſt malo hypochondriaco, recte tractantur. Requiritur itaque pro morborum complicatione determinanda, ut uterque ſit idiopathicus, nec ſymptomaticus i. e. ab altero ceu affectus a cauſſa producatur, & hinc non niſi ſymptomatis ejusdem morbi mereatur nomen. Ideo etiam ſemper videndum, an phœnomena ita ſint comparata, ut ad morbum, qui jam conſtat, pertineant, &, licet non ſemper adſint, tamen in quibusdam adeſſe obſerventur, qui eo laborant, inſuper a morbi indole & læſione deduci queant, an vero talia ſint, quæ morbo nunquam propria ſunt, nec ab eo producantur ceu effectus a cauſſa, ſed tantum in aliis diſtinctis morbis obſerventur. Hinc etiam ſemper requiritur, ut ante, quam quis morbum duplicatum judicare velit, certa unius morbi præſentis ſigna non tantum habeat, ſed & hæc omnia cum reliquis ſollicitiſſime contulerit & comparaverit.

§. XIII.

Hæc omnia, quæ jam dicta ſunt circa generaliſſimam morborum diagnoſin verſantur. Sed quia non ſufficit, ſcire, quis ſit morbus an e. g. ſit febris, illaque catarrhalis, petechizans, petechialis, purpurata &c. ſed quam maxime requiritur, ut de morbi præſentis ſpecialis ſpeciali habitu ac indole conſtet; opus eſt, ut accuratius in omnes alias morbi circumſtantias inquiratur; præcipue, quando ægri ſuas narrationes confuſe, aut inordinate, inſtituunt. Proinde ſciſcitandum eſt, quomodo morbus invaſerit, an repente, an ſucceſſive, an cum frigore eoque vel multo, vel pauco, an cum æſtu ſtatim ſive remiſſiori ſive intenſiori, languore, ac fatigationibus &c. & ſic horum ſymptomatum gradus ac diverſitas exploranda. Tempus non minus explorari debet, primum generale, quando morbus invaſerit an mane, an ante meridiem, poſt meridiem, ſub veſperam vel noctem &c. multi enim morbi ſpecialem indolem produnt ex tempore invaſionis, nec omnes promiſcue quovis

tempo-

tempore invadunt, id quod præcipue febribus ac adfectibus ſpaſticis eſt ſolemne: ſic febres catarrhales dignoſcuntur quidem in genere ex ſymptomatibus prægresſi horroris, & ſubſequentis æſtus, nec non conjuncti catarrhi ſub coryza, brancho, aut oppletione pectoris tusſiculoſa &c. apparentis; interea tamen eo melius intelligitur, febrem eſſe ordinatam catarrhalem, ſi tempus invaſionis, quod ut plurimum ſervant, veſperi fuerit. Et ſic ſe cum aliis febribus tertianis, quotidianis, quartanis, iisque etiam duplicatis, vel plane conplicatis cum alio adfectu febrili, habet. Deinde quærendum eſt, an morbus eodem ſemper tempore, quo invaſit, redeat, ut eo magis conſtet, an ille ſit ordinatus, typicus, an vero nullum ordinem ſervet. & promiſcue ceu irregularis ac ſpurius invadat redeatque. Et ſic etiam expiſcandum, an morbus ſit paroxyzans, circa quam horam repetat, an ſemper eadem maneat, an vero ſive anticipet, ſive poſtponat, præcipue in febribus, quod non tantum ipſi medicamentorum præſcriptioni, ſed & prognoſi inſervit. Poſt hæc tempus ſpeciale indagandum initii, quomodo habuerit patiens in invaſione morbi, quales mutationes acciderint, utrum morbus ſemper ita maneat in eodem ſtatu, qualis fuerat in invaſione, an vero creſcant ſymtomata, & quomodo transformentur in deterius ſub incremento, quamdiu creſcat morbus, quam diu ſub ſtatu teneatur ægrotus; quando declinet, quomodo declinet, utrum cum euphoria plenaria & orthoſtadia, an vero tantum reſpective melius ſe habeat, nec ſymtomata penitus remittant. Nullus enim fere morbus eſt, qui non habeat initium, incrementum, ſtatum & declinationem, præcipue tamen hic agmen ducunt febrium omnes ſpecies. Ad tempus morborum ſpectat etiam duratio, unde examinandi ægri, quamdiu adfectus jam durauerit, an ille ſit recens, an vero inveteratus & habitualis, ex quo etiam, conſiderato inſuper invaſionis modo, conſtabit, utrum ſit ille acutus, an vero chronicus; acutus quidem ſi vel ſimul & ſemel incepit, acutum habuit incrementum, & acuto modo finivit, ad ſalutem qualemcunque, vel ad mortem, i. e. in tota duratione brevior fuit, quale quid evenit ſub apoplexia, colica convulſiva, aſthmate ſpaſtico, catarrho ſuffocativo, vel ſi non ita acute invaſit, tamen ſub toto ſuo decurſu reliquo oſtendit, quod ita ſit comparatus, ut per longum tempus talis permanere nequeat, quale quid obvium eſt in febribus acutis, malignis præcipue ad exanthematicas pertinentibus, in quibus præterea hæc ratione durationis conſideratio hoc habet utilitatis, ne ratione venæſectionis, vomitorii & reliquæ medicationis quicquam fiat ſerius & præpoſtere. Non minus reſpiciendum eſt ad ſucceſſum omnium ſymtomatum, quomodo non tantum morbus in genere ratione invaſionis, decurſus,

&

& recurſus, ordinem ſervet, ſed in ſpecie, qua ratione ſymtomata ſingula ſe invicem excipiant, utrum ſimul & ſemel adſint, an vero ſucceſſive aliud poſt aliud ſequatur, an ſymtomata antecedentia remittant poſt ſubſequentia, & an hic ordo ſemper per totum morbum ſibi conſtet. Proinde etiam videndum, utrum ſymtomata in paroxysmis alternent, ita ut, quod hodie maxime urſit, craſtino paroxysmo abſit, accedat autem iterum illius in locum; id quod præcipue in purpura contingit. Si hæc probe conſiderantur, patebit exinde ſatis clare ſymtomatum inter ſe & cum cauſſa morbi conſenſus, nec minus quomodo unum ab altero prodeat & deducendum ſit; maxime autem hæc notitia eo inſervit, ut ratione medicationis congruus itidem ſymtomatum ſucceſſui ordo ſervari poſſit. Quod ut clarius fiat, ſiſto exemplum. Si conſtaret ex præmiſſo examine ſecundum ſigna de pectoris adfectu phthiſico, ulterius indagandum, quem ordinem ille morbus ſervet, utrum exacerbatio ejus conſtanter circa æquinoctia aut alio certo tempore recurrat, an febris hectica ſit conjuncta, an hæc febris pariter ſingulis diebus ſtato tempore ſubeat exacerbationem, an ſucceſſiva ſymtomata caloris, ſiticuloſitatis, ſiccitatis, ingraveſcant, an hæc omnia per certum tempus durent in ſtatu & poſt hæc ſucceſſive declinent, an poſthæc mitigetur anxietas, ſpirandi ſumma anguſtia, tuſſis, an remittant dejectiones materiæ, an poſt paroxysmum in tantum redeat adpetitus, ſomnus, mentis major conſtantia, & ſic ulterius &c. an vero ſine ordine hæc omnia contingant, & mox ita, mox aliter morbus urgeat confuſo ſchemate ſymptomatum. Et ſic pariter ſub reliquis adfectibus febrilibus in ordinem ſymptomatum inquirendum, an ille conſtans ſit, an vero nec ſymptomata conſtantem ordinem ſervent, nec ſemper eadem adſint, & eodem modo ſe excipiant. Id quod præcipue contingit in purpura impeditius erumpente, ubi mox ingens æſtus torquet ægros ſine frigore, mox frigus accedit cum leniori calore, mox præcordia anguntur, mox vero majores rhevmatici dolores artus & dorſum infeſtant, aut ſpasmi imi ventris, quin diarrhoeæ; itaque ſic mille modis variant mira ſymptomata, & tale confuſum ſchema exhibent, ut ſæpius credant, ſe ex faſcino laborare. Quam utilis & neceſſaria ſit ratione ordinis inquiſitio hæc, paucis ſuperius iam dixi. In ſpecie ratione methodi curandi, inde emergit peculiare commodum, ubi quidem ſi ſymptomata & morbus in genere ordinem ſervant ac conſtantiam, facilius erit, ordinatam & conſtantem ſervare etiam methodum medico, quanquam abſenti, ſola ordinatione & præſcriptione medicamentorum ordini adfectus congruo modo ſumendorum. Ubi e contrario v. g. in febribus purpuratis talis ſymptomatum ordo deficit, & hoc tempore æſtus adeſt

cum præcordiorum anxietate, alio autem eorundem ſymptomatum obſervatur remisſio cum diapnoica corporis conſtitutione, tunc exinde ſtatim patet, quod non liceat in genere, & ſecundum ſtata tempora ordinare remedia, ſed quod neceſſarium ſit, pro variatione & viciſſitudine pathematum eadem dirigere. Qua propter in ejusmodi adfectibus medicamina præcipue alexipharmaca ob magnam ſymptomatum ratione temporis ac ordinis inconſtantiam, aut alia ejusmodi humores commoventia, vel plane abeſſe debent, vel injungere debet medicus, ut eſſentiarum v. g. uſus tunc adhibendus ſit, quando nullus adſit notabilis æſtus, quod itidem tamen ſæpe ab adſtantibus confunditur, & hinc ſemper, ſi medicus non ipſe obſervare poteſt viciſſitudinem, medicamenta leniſſima diaphoretica tantum fixa, quæ nocere nequeunt, præſcribet ſecurius. Inſervit præterea hæc notitia de ſymptomatum inordinato ac promiſcuo ſucceſſu, ne confundatur medicus circa morbi ipſius curationem, ſed ut ſtrenue pergat ea peragere, quæ adfectus requirit, quare v. g. in vomitu, purpuræ accedente, non digeſtiva ſalina, aut plane emetica, in ſpaſticis artuum tractionibus, a materia acri purpuræ proficiſcentibus, non multa refrigerantia, aut plane opiata, propinabit, ſed hæc omnia ad methodum tractabit, quæ purpuræ congrua eſt.

§. XIV.

Quemadmodum ex omnibus hactenus prolatis de iis patet, quæ circa generaliorem morborum verſantur diagnoſin, quis nempe ſit morbus, ne unus cum alio confundatur; ita nunc quantum fieri poteſt, breviter explicandum veniet, quomodo examen inſtituendum ſit ſpecialius, ut itidem conſtet, cujus indolis ſit morbus reſpectu magnitudinis, gradus & vehementiæ, & quid de eo ratione reliquorum phœnomenorum exſpectandum ac judicandum ſit. Hoc quidem poſterius illuceſcet medico ex conſideratione actionum, animalium, naturalium, & vitalium. Nullus enim eſt morbus, qui non qualemcunque harum actionum poſt ſe trahat læſionem, ex qua etiam plurima morborum depromuntur ſigna pathognomonica. Cum autem morbi iidem in diverſis ſubjectis, quin eodem ſæpe differant gradu læſionis, hinc & periculi, & hic etiam differens gradus differentem poſt ſe trahat actionum læſionem; ſic ex his actionibus plus minusve læſis optime judicabitur de morbi peculiari & individuali indole. Id quod non tantum ratione prognoſeos, ſed etiam ipſius curationis & clinicæ morborum judicioſæ tractationis, exquiſitæ veniet utilitati.

§. XV.

Primum itaque conſiderandæ ſunt actiones animales, quæ ſub ſe compre-

prehendunt sensus omnes internos & externos, & ab illis dependentes effectus somni ac vigiliarum motuumque voluntariorum præcipue omnes species. Ad sensus internos refertur ita dictus sensus communis, quis, quid sit, ad me iam non attinet explicare, adfectiones ejus tamen, quæ ab auctoribus ipsi adscribuntur, somni & vigiliarum, sicco non possum præterire pede. Hic sensus quippe communis seu objectorum variarum mutationum in mente simplex perceptio a variis corporis morbis diversimode alteratur, ita ut nimis intendatur vel nimis remittatur percipiendi vigor; cum autem a diversa perceptione diversus somni & vigiliarum pendeat gradus, necessario ex harum affectionum mutato statu indicatur gradus & indoles præsentis morbi, internam animi perceptionem vel infringentis, vel excitantis. Qua de re sub morbis inquirendum itidem est in somnum & vigilias primo, **ob der Patient Schlaf habe oder nicht, ob er zu viel oder zu wenig schlafe,** aut quatenus deflectat a naturali consueto somno. Inquirendum proinde, an somnus placidus sit, an inquietus, anxius & interruptus, inconstans, nocturnus, vel diurnus, reficiens, vel delassans, vel intermedius; vel an somnus plane deficiat, & sic vigiliæ in eadem ad somnum relatione considerentur, præcipue utrum a symtomatibus morbi producantur dolorificis, anxiis &c. an vero sine manifesto concursu sensationum molestarum ab interna tantum animi activitate nimis intensa propter latitantem quandam dignam attentione caussam. Ex quibus omnibus variam adfectus indolem hariolari licebit. Somnus si plane deficit, sub vigiliis nimis diuturnis, & illis a manifestis pathematibus v. g. dolorum, anxietatum, æstus in febribus &c. productis, de gravitate istorum symtomatum & morbi ipsius medicus inde certior fiet, nec non, quod non ante quam mitigatis illis rediturus somnus sit. Quæ consideratio arcebit præposterum narcoticorum opiatorum & promiscuum usum, non remota prius caussa symtomata cum vigiliis inducente. Ubi autem citra concursum manifestorum pathematum, doloris, æstus, anxietatis, vigiliæ instant, eo magis suspicandum de interna quadam latitante caussa gravissima, quæ naturam adeo in constanti activa attentione detinet, quod præcipue in febribus acutis observandum, in quibus si jungatur summa virium prostratio, deficientibus interim reliquis vehementibus pathematibus, æstus, sitis, dolorum, ex constanti agrypnia malignitatis maximus indicatur gradus & summa in medicatione requiritur circumspectio. Somnus vero, ubi adest, si ille fuerit proxime accedens ad naturalem, nec ille inquietus nimis, anxius, interruptus, sed placidus, satis constans, præcipue tamen nocturnus, indicat, quod

 caussa

caussa morbi ita sit comparata, ut sine ingenti laboriosa naturæ contentione ordinarie & placidis successibus superari queat, præcipue etiam morbi nocturno tempore notabilem somni talis præsentia remissionem monstrat. Secus omnia si fuerint, quid quævis circa somnum aut vigilias mutationes specialissime in quovis morbo sub specialissimis circumstantiis designent, ex semiologia petendum erit; paucis saltem adhuc indicandum, quod vigiliæ sub morbis arduis, præcipue malignis, ex consideratione latentis caussæ, ob quam invigilat anima, nunquam temere anodynis opiatis sistendæ sint, nec somnus vicissim post diuturnas vigilias incidens, longior etiam, in febribus multis excitantibus positive turbandus. E contrario neque somnus comatosus quasi perpetuus, cum nihil boni, sed summum motuum vitalium torporem, præ se ferat, simpliciter tolerandus, & sub eo reliqua morbo adæquata negligenda methodus.

§. XVI.

Succedunt reliquæ læsiones sensuum internorum, phantasiæ, memoriæ, & completum ratiocinandi negotium concernentes, ex quorum vario habitu, de varia morbi indole judicare medico integrum est. Animus enim, teste experientia, corporis sequitur constitutionem; & ubi ejus viget sanitas, ceteris paribus sanitas & mentis medice sumta valet, & ita reciprocus est effectus læsionum corporis in animum, & animi in corpus. Qua de re cum in omni morbo a materiali caussa profecto gravitas ejusdem concludi possit ex gravitate læsionum animalium, medicus itidem inquirat, wie das Gemüth beschaffen sey, ob es munter, ruhig oder verdrossen, ängstlich sey, wie es mit denen Gedancken stehe, ob etwan der Patient gar verwirret werde, oder phantasire? Et hoc præcipue attendendum in morbis acutis, ubi, si ægroti nihil peculiarium dolorum, æstus, sitis &c. sentiunt, & tamen confusionem, mentis deliria produnt, rectissime judicatur malignitatis status. In judicandis autem deliriis cautus sit medicus, non enim quævis locutio peregrina, aut actio subjecto insolita statim pro delirio habenda est; sic etiam videndum, an forte tantum dormientes & somniantes perversa loquantur, ob sie wachend oder schlafend, mit offenen oder geschlossenen Augen irre reden. Quærendi sunt ipsi ægroti, an sciant, quæ loquantur & quæ loquuntur de iis interrogandi etiam. Multum refert, ut attendatur, quomodo delirent, an deliria sint stupida & obliviosa, in acutis certe periculosissima, an vero sint furiosa, ob malas consequentias summa attentione digna, an vero jocosa & jucunda cum risu, gaudio, joco eveniant, an delirium versetur circa motus voluntarios insolitos, quod pessimum jam judicavit Hippocra-

pocrates, & quando ſæpius manus ad os ferunt, muſcas venantur, feſtucas colligunt, de veſte pilos convellunt, de pariete decerpunt, ungues dentibus rodunt, plumas de lecto petunt, & quaſi capillos in lingua & ore quærunt; hæc inter pesſima ſigna refert &c. Porro conſiderandum, an ſtatim ſub initium morbi, an vero ſub incrementum & ſtatum accedant, an conſtanter aut per vices delirent præcipue ſub vigore paroxyſmi, quomodo de reliquo habeant ratione virium, quis pulſus, ſudor, quæ urina; an ſomno intercedente minuatur; quæ ſingula, quid in acutis præſertim febribus indicent ratione prognoſeos & methodi, cuilibet docto & perito medico patebit, qui inſimul reliquas omnes morbi circumſtantias accurata mentis lance ponderare non deſiſtet.

§. XVII.

Sufficiant hæc pro brevi tantum inductione de ſenſibus internis. Conſiderandi pariter ſunt externi, idque præcipue etiam in morbis periculoſis, acutis febrilibus. Etenim uti in genere ex ipſorum naturali activitate ſanitatis integræ deſumitur ſignum: ita quatenus læduntur, & quidem ſymtomatice, de morbo non tantum præſenti, ſed & de diverſa ejus gravitate teſtantur. Magna autem illi ſenſus conſideratione digni ſunt, per quos veluti ex ſpeculo ſe repræſentat activitas mentis & vigoris vitalis, quales ſunt viſus, auditus, & tactus. Guſtus & olfactus, quatenus conſiſtunt in perceptione diſtincta objectorum ſapidorum, odoriferorum, non adeo multum portendunt; ſiquidem ſub morbis, & in ſpecie febribus, ordinarie læduntur in vigore & ordinario ſtatu, daß denen Patienten, ſonderlich in Fiebern entweder nichts ſchmecket, oder alles bitter, oder wie Holtz und Stroh im Munde iſt. Et circa olfactum etiam tales irregularitates occurrunt, ſalvis interim reliquis rebus omnibus. Nec hi ſenſus adeo delicati ſunt, & per eos non adeo intime mentis ſe exſerunt adfectiones, nec a poſteriori etiam vel ſymtomaticæ eorum læſiones in morbis, reliquis paribus, peculiare periculum junctum habere obſervantur. Siquidem fere uterque ſub coryza, gravedine, febribus catarrhalibus, benignis & malignis, petechizantibus, ſine ullo periculo ſuſpenditur. Interim tamen ad conſtitutionem organorum eo magis attendendum eſt, & inquirendum inprimis in acutis, an lingua & fauces nimis ſint ſiccæ, an plane a congeſtis humoribus tumidæ aut inflammatæ, an variis obſeſſæ impuritatibus ac ſqualoribus, an in exanthematicis v. g. variolis plane adfectæ ſint; ut in tempore his omnibus queat ſuccurri. Pariter & narium internam conſtitutionem examinet, an apertæ ſint, an vero obſtructæ pro libera reſpiratione. Sæpe enim ſub æſtu febrili

mucus ſenſim collectus inſpiſſatur, & , dum præterea ægrotis ejus excernendi deficit potentia, adhæret in ſuperioribus narium ſpongioſis ſinubus, anxiamque magis reddit reſpirationem , ſaltem per os reſpirare coguntur, unde maxime exareſcunt fauces. Proinde & examinandum , an forte in variolis hiſce exanthematibus obſeſſæ ſint, quo debitis lenientibus & mundificantibus interne , & diſcutientibus externe ſuccurratur, nec inde membranæ Schneideri pituitariæ, ſinus præcipue ſpongioſorum ſuperiorum oſſium inveſtientis ulceratio,cum carie horum oſſium,& ſic ozœna fœtida enaſcatur. Circa ſenſum Viſus inſtituendum eo curatius erit examen,quia fere totus animi habitus legi quaſi ex oculis poteſt, Hinc videndum , quomodo ſe habeant ratione vigoris, promtitudinis, claritatis, an clari ſint, an obſcuri,quin penitus vitrei, an nimis ſicci, an nimis humidi, quomodo moveantur, an mediocri, an furioſa velocitate, aut inconſtanti nictu, aut reciproca quaſi ſemi - convulſiva muſculorum vibratione, an protruſio oculorum adſit cum bulbi immobilitate, an vero e contrario confractio oculorum, cum concavitate & virium ſumma proſtratione , quæ ſigna communiter habentur a pluribus auctoribus practicis inſtantium ultimorum. Conſideretur porro modus obtutus, utrum ſit ille auſterus, pertinax, directus, quaſi in punctum defixus, quale quid fere ſemper obſervatur in læſionibus internis v.g. phthiſi, cerebri ulceribus, aut aliis viſcerum cum febre hectica junctis. **Solche Leute ſehen ſehr ſtier aus, es kuckt ihnen etwas aus den Augen , daß man es ihnen recht anſehen kan , es ſey mit ihnen im Leibe nicht richtig. Die Lebhafftigkeit der Augen fehlet nicht nur, ſondern ſie ſehen gantz gläſern, eingefallen, oder halbſchielend, fürchterlich, haben weite, groſſe und offene Augen.** Conf. quæ ad hanc rem pertinent in diſſert. *Excellentiſſ. D. Stahl de facie morborum indice.* Hæc omnia quo magis in gradu altiori adſunt, eo majorem læſionis internæ gradum rectiſſime indicant. Ad oculorum non minus colorem præternaturalem , ruborem, ac fulgorem attendendum, præcipue ſub congeſtionibus ad caput, & providendum in exanthematicis, ne variolæ in ſpecie inferant oculis damnum irreparabile. Sequitur ordine ſenſus auditus, cujus activitas æque ac viſus, quippe qui duo merito excubitores animæ vocantur, teſtatur de activitate & vigilantia mentis , maxime etiam de generis nervoſi, motuum omnium primi principii, ſtatu legitimo. Hinc & ejus juſta conſtitutio in variis morbis, ad quos peculiaris naturæ ſenſus & vitalis requiritur vigor, bonam perhibet prognoſin. Auditus in ſpecie ſub acutis ſubtilis, diſtinctus, indicat animi activitatem, & viceverſa variæ ejus læſiones non idiopathicæ, nec a ſtagnantibus humoribus verſus

caput

caput congestis ortæ, sed potius a torpore naturæ, a sensibus veluti remisso tono nervorum refugientis inductæ, sensus vitalis hebetudinem designant. Quærendum & explorandum proinde est, an ægrotus in periculosis malignis præcipue bene naturaliter audiat, quod si sit, reliquis concinentibus signis, testatur perceptionis internæ & generis nervosi statum naturalem; an vero nimis acute audiat, ut v. g. in conclavi vix se movere possint, quin ægrotus sensibiliter inde adfectus appareat, an vero e contrario plane non audiat, aut obtusissime, daß man ihm recht in die Ohren schreyen muß. In priori casu communiter cum summis vigiliis juncta est auditus intensio, quin deliria portendit, & testatur de gravi periculo in acutis, ob quod natura adeo est attenta & invigilat. In posteriori casu sociata summa virium prostratione & reliquis ex pulsu, urina sumendis &c. paribus, parum boni sperandum. Hæc enim auditus hebetudo pejor sane est nimia ejusdem intensione, siquidem sub hac vigor naturæ tantum nimie attentæ motuumque præsens observatur alacritas ad motum sanguinis pro exterminanda febrili materia, putridam humorum minitante resolutionem, continuandam vivide necessaria; in illa autem sensus primum vitalis infractus & exinde motuum magna iuncta deprehenditur inertia. Notatur tamen hinc inde a practicis, inter quos vide de salutari hujus generis surditate *Excell. Dn. Hoffmanni Medicin. rat. systemat. tom. III. Sect. I. c. X. p. 229.* §. *XI.* statum surdastrum præcipue in exanthematicis petechialibus, circa criticos dies, paribus autem reliquis, criticis præcipue excussionibus legitime succedentibus, tolerabilem esse & denotare victoriam naturæ de morbo, unde jam a nimia sensuum activitate remittit & excreta maxima malignioris materiæ parte, reliquum ad nocendum minus idoneum cum majori & secura tranquillitate excernere potest, & actu per metastasin febrilem ad exteriora expellit. Ad sensum Tactus non minus attendendum in ejusmodi morbis periculi plenis, & vigorem naturæ pro malignitatis & periculi gradu varie alterantibus. Quemadmodum justa ejus constitutio, partim a debito partium nervosarum tono, partim debita animæ activitate, partes in debito tono servantis, dependet, & idem in variis morbis partim a materiali caussa, tonum vel excitante vel debilitante, vel uti dictum præcipue ab immateriali mentis scilicet varia conditione, lædi observatur: ita ex ipsius in morbis, præcipue tamen acutis, vario habitu, medicus de indole illorum rectissime judicabit; vel quod adsit ejusmodi materia, sensum tactus materialiter frangens, vel ad minimum ejusmodi, quæ naturam, directorem omnium sensuum, incitat, ad partium tonum acuendum, vel denique, quæ

ob

ob ſuam malignitatem naturam ita perturbet, ut tonum remittat præ languore, torpore ac metu & hinc minus percipiat & ad percipiendum apta ſit. Quando jam in morbis nimia ægroti obſervatur ſenſibilitas circa tactum & reſpectu corporis, ut ex illa de morbi indole certi quid judicari queat, probe ponderandum, an individuum in ſtatu naturali valde ſit ſenſibile, & a levibus rebus facile ac moleſte adficiatur. Quodſi fuerit, hæc nimia ſenſibilitas, niſi penitus enormi gradu excedat, tanti non erit facienda, quam ubi ſubjectum in ſtatu ordinario fere inſenſibile durum ac robuſtum ſub morbis ratione tactus maxime evadit delicatum. Cum proinde in genere tactus in morbis fere naturalis conſtitutio indicat cauſſæ benignitatem, quæ nec ultra ordinarium naturæ ſenſum excitat, nec nimis deprimit, & ſic ſtatum quemcunque tolerabiliorem. Ubi tamen ſenſibilitas nimia ſemper melior habetur præ ſtupida inſenſibilitate. Interim vero illa, quæ præſertim in purpura, inflammationibus internis, petechialibus cum purpura complicatis, ſubinde occurrit, facilem largitur concluſionem, non multum requiri, ut exacerbetur usque ad ſpaſmos, convulſiones, aut deliria, ſi forte non accuratiſſime in regimine caloris, frigoris, ſudoris &c. obſervetur æger; quare etiam reſpectu conſiliorum circa res externas, nec non medicamentorum activorum, utcunque incitantium, ſumma adhibenda erit prudentia. Man muß mit ſolchen empfindlichen Leuthen umgehen, wie mit einem rohen Ey. Inſenſibilitas vero circa tactum ubi in morbis obſervatur, probe examinandum, utrum illa gradum naturalem individualis inſenſibilitatis multum excedat, nec eadem confundenda cum patientiſſima ſæpe ægrotorum continentia, qui non ita multum conqueruntur; an vero ſubjectum alias maxime ſenſibile, nunc inſenſibile evadat, id quod ſumma dignum conſideratione. Præterea circa inſenſibilitatem perſonalem ſollicite cavendum, ne in talibus individuis error in præſentis morbi diagnoſi ratione gravitatis committatur. De reliquo conſiderari debet morbus, in quo ægroti ſunt inſenſibiles. In acutis malignis graviſſimum portendit periculum & de naturæ torpore cum motuum febrilium ſegni conjuncto ſucceſſu teſtatur, præterea exinde facile & medicus & adſtantes nimis reddi poſſunt ſecuri, ut propterea eo major tunc requiratur circumſpectio. Cum tamen & in acutis non quovis tempore æque ſit fatalis, videndum, an ſub initium & incrementum, ſtatum aut declinationem adſit inſenſibilitas ratione dolorum, ſitis, aut aliorum præſentium ſymtomatum, da die Patienten meynen, es fehle ihnen nichts, weil ſie nichts empfänden, cum interim periculoſe ægrotent; exinde profecto ſubdola morbi indoles, & eo major

major latitans maligna materia haurietur, ac quovis modo, tum ægrotus, tum illi, qui ejus gerunt curam, monendi sunt. Circa statum ubi maxime naturæ requiritur vigor ad excretionem contiguam materiæ malignæ ejusmodi insensibilitas, si unquam, deleteria non potest non esse. Unde medicum decet attentissimum esse, cohortando, ne putent, ægrotum, quia fere nihil conquereretur, in salvo constitutum, hanc insensibilitatem ex malignitate morbi proficisci, & naturalium virium prostratione, melius esse, si sentiret æstum, dolorem, sitim, si sensibilis esset circa res externas, proinde curatissime jubeat ægrotum attendendum, nec sibi ipsi falsum formet solatium, quando patientem accedens ex eo audit, post quæstionem, **wie er sich befinde: gantz leidlich, er fühle nichts besonders.** Videndum est, anne insensibilitas sit species delirii. Quod sæpissime fit, ut præ alienatione mentis dicant: **es fehle ihnen nichts, sie fordern wol gar zu essen, wollen aufstehen, und stellen sich offtmalen gantz kräfftig,** accingunt se ad legendum, scribendum &c. varia constant exempla, ubi individua petechizantibus laborantia febribus & tali modo sub mentis turbatione tacita malorum insensibilia, brevi postposuerunt vitam. Ita ad acutissimum delirium pertineret, si fervida sine ullo sensu deglutirent, mentis motionem testatur, si nihil sentiunt, **wenn man sie hart anfühlet, hart anschreyet, sticht, ja wenn sie nicht einmal die** vesicatoria suris adplicata **und** rubefacientia **fühlen;** aut aliquando a volatilibus naribus admotis non amplius excitantur, vel a rebus gustum de reliquo maxime adficientibus nihil moventur; summum hoc certe naturæ stupidum torporem indicat. *vid. Dn. Præsid. Semiolog. Sect. XII. C. II p. 219 §. XIX. sqq.* qui laudatus auctor itidem pro pessimo indicat, quando circa sensationem tactus a rebus alium sensum experiuntur, quam illæ inferendi habiles existunt. e. g. si ad contactum æstuantes frigerent, & sub frigido attactu insolitos ardores perciperent. Quodsi autem sub declinationis tempus ejusmodi febrium eveniat insensibilitas, **daß die Patienten nicht mehr empfindlich sind, nichts sonderlich mehr fühlen,** videndum, an illa sit respectiva, proportionata & successiva: an ægrotus circa symptomata sub morbi statu maxime urgentia nihil amplius sentiat, soluto morbo debitis se - & excretionibus & reliquis bonis conspirantibus signis, ut sic melius toleret attactum, non ad leves aëris mutationes adeo adficiatur. Ex quibus omnibus morbum salutariter declinantem & hanc insensibilitatem proportionatam re vera ex absentia malorum, fracto morbo, proficisci, judicare sine erroris metu licet. Ubi autem simul & semel omnis mali perit sensus, interim nec ex pulsu, nec urina nec aliis

 phœ-

phœnomenis adparet, quomodo morbus ſolutus eſſe poſſit, ubi nullæ excretiones, vel exanthematum, vel ſudoris largioris, ſimultanei, aut ſucceſſivi, vel ejusdem generis urinæ præceſſerunt, ſecuri ac boni certe nihil poterit indicare. Siquidem nulla febris ſalutariter cedit, ſine excretionibus notabilioribus ſudoris & mutatione urinæ. *vid. Illuſt. Stahl problem. de febribus &c.* Quare in tali caſu hæc inſenſibilitas non teſtatur de ſoluto morbo, ſed de naturæ torpore & ſegnitie & cum nulla lyſis morbo acciderit, eumdem neque ſuperatum, ſed novo labore opus eſſe; cui tamen ſuſtinendo ſub virium iactura an par fuerit natura, eſt, quod pro re nata medicus ægrotum circumſtans optime harioletur; ſaltem ſemper habet, quod eventum minus ſecundum ſuſpicetur.

§. XVIII.

Ad actus animales referuntur & Motus Voluntarii, ex quorum diverſa conſtitutione, vigore, activitate, languore, confuſione, varia morborum indoles cognoſci poteſt. Propterea ad eosdem ſollicite attendatur, & videndum, quomodo ægroti ratione eorumdem ſe habeant; an ſine multis difficultatibus obambulare, & negotia ſua exequi valeant, an vero in iisdem multum reperiant impedimenti. In priori caſu intelligitur primum animi vigor, deinde juſta toni roborisque muſculorum conſtitutio, ipſiusque morboſi adfectus pro nunc tolerabilior ſtatus; ubi tamen ex reliquis circumſtantiis dijudicandum, an ille motuum vigor talis etiam manſurus ſit in futurum, & annon ægroto melior ſit quieta continentia, in quo caſu dabit conſilium, er ſolle ſich ruhig halten. Quod præcipue ſub commotionibus febrilibus attendendum, ubi nondum conſtat de vero eorumdem habitu, & ex variis cauſſis plane ſtatus quisquam malignus ſuſpicandus foret, ne talibus motibus turbent tranſpirationem lenem, augeant materiam febris, viresque ſine neceſſitate conſumant. Id quod potiſſimum ſæpe accidit in febribus petechialibus vel etiam petechizantibus, ut ægroti ſub invaſionem nihil peculiariter ſentiant, neque inde ad movendum ſe, ambulandum, ſuaque negotia perficienda adeo ſint inhabiles. Unde fit, ut multi morbi latitantis dolum non attendentes, nec ponderantes, aëri cuicunque in plateis, aut aliis locis, ſe exponant, & inde non tantum tranſpirationis ſucceſſum primis diebus interturbent, ſed etiam, hinc conſtrictis poris cutis, juſtam exanthematum excluſionem criticis diebus prohibeant, & multis aliis heteroclitis ſymptomatibus expoſiti non raro vitæ jacturam experiantur. Eo magis autem dicti motus ſunt interdicendi, ubi languide, torpide & impedite ſuccedunt, ipſisque explicandum, quod talis motuum inopinata ſegnities

clandestini cujusdam morbi præbeat indicium & naturæ debilitatis faciat metum. Distinguenda interim ubivis est sollicite segnities motuum a sola plethora, aut spissitudine sanguinis profecta, ubi potius moderati motus suadendi sunt, licet illi cum aliquali resistentia perpetrentur. In febribus autem maximam illi motus considerationem merentur, qui peraguntur membrorum agitatione, corporis erectione voluntaria, capitis motitationibus, oculorum motu, gestibus &c. Quare videndum, an in ejusmodi morbis ægroti membra libere moveant pro lubitu & necessitate, an corpus promte & sponte erigant, v. g wenn ihnen die Küssen sollen zurechte geleget werden, an caput, quo velint, sine insigni molestia vertant, id quod, si reliqua constant, præcipue & mens, vigorem indicat naturæ, viriumque præsentiam pro morbo exantlando maxime necessariam; ubi itidem monendus erit æger, ne citra necessitatem se moveat, diapnöen intervertat, pulsum mutet, anxietates symtomaticas contrahat &c. si vero hæc omnia non placide nedum ordinate fiant, sed cum ingenti inquietudine & reciprocis jectigationibus in lecto se movet patiens, inquirendum est, utrum contingat sub paroxysmi exacerbatione. Quod si sit, indicabit sane anxietatis internæ gravitatem, naturæ anxiam, laboriosam, contentiosam sensibilitatem, symtomatum in genere præsentiam ægro intolerabilium. Quare non minus ægrotus est cohortandus, ut, quantum unquam possit, patienter se contineat, caveatque medicus, ne ille solus vel ad momentum relinquatur, ne præ anxiete, sæpe cum mentis turbis conjuncta, se denudet, involvendum proinde ægrum jubeat mantili (mit einem Schlaff-Rock) tibialibus muniat pedes, a pariete amoveatur, ne loca frigida manibus petere possit; saltim parieti præponatur tegmen tensum (ein Schirm) etiam ante lectum talia ponantur munimenta, portis hypocaustorum prætendantur Conopea, Vorhänge, ne frigus ullo modo possit adlabi. Adstantibus autem injungendum, ut ad omnes motuum mutationes attendant. Ex his pariter deinde expiscandum, an motus voluntarios admittat æger in paroxysmo, & an cum eo remittant; Utrum in paroxysmo cum delirio, quippe quod eo deteriorem malignitatis statum indicaret; in quo casu cum conscientiæ injunctione adstantes ægrotum compellandi sunt (man muß es denen Wärtern, oder denen, die bey den Patienten sind, recht ins Gewissen schieben) ut semper attentissime observent ægrotum, ne is obtegat se, ne . d momentum solus relinquatur, ne noctu aut interdiu sub his circumstantiis dormiant; curandum est pariter, ne curatores vel stupidi, inertes, aut negligentes, vel plane pueri, aut puellæ impotentes, seligantur, seque medicus ita pur-

 get,

get, daß er wiedrigenfalls keine Schuld haben wolle, wenn der Patient stürbe. Quando enim in deliriosis motitationibus sub morbis acutis vel semel ægrotus ex lecto evaserit, exanthemata nec erumpunt, vel plane retrocedunt, & actum est de ægro; cujus rei plures notabiles casus allegare possem, si per tempus liceret. Incidit adhuc in mentem, quod acute febricantibus, quamdiu ad surgendum adhuc sunt habiles, concedatur sæpe ab iis, qui eos curant, surrectio pro deponenda alvo, unde multi sub repetito lactu hoc insigne ceperunt detrimentum. Ubi medicus circa hanc rem sollicitum se gerat, & potius occasionem procuret, ut non opus habeat æger surrectione pro deponenda alvo. Quærendum itaque etiam est, ob der Patient beym Stuhlgang aufstehe, ob er oft aufstehe, wie er aufstehe, ut in consideratione hujus ultimi, si varias ob caussas in lecto alvus poni non posset, saltem non sine sufficienti contectione surgat, & in sella pedes lecto tegantur, nec nimis crebro citra necessitatem concedatur surrectio (cum illa non raro ab ægrotis ad levandam quocumque modo anxietatem & leniendum æstum, fingatur.) Præterea in sella ponatur vas aqua calida repletum.

§. XIX.

Quemadmodum ex præsentia & conditione eorum motuum, qui conscio fiunt ægro & ab ejus voluntate pendent, varia indoles status præsentis morbosi judicari potest & debet: sic non minus inquirere decet in illos, qui fiunt, partim universaliter, partim particulariter sine ægroti voluntate, & sic neque stricte voluntarii possunt nuncupari. Ad particulares pertinent tractiones faciei musculorum, palpebrarum, oculorum, oris, labiorumque rinctus, linguæ motitationes, capitis nictus &c. qui contingunt sub acutis vel plane citra voluntatem & propositum, vel saltem ita, ut de iis non cogitet æger, & a consuetudine dependent. In hoc ultimo casu ex iis solis nihil hariolandum. Quando autem observantur sub delirii justa suspicione & reliquo dubio statu ejusmodi particulares motus, quos æger sanus admittere haud suevit, tunc judicium de indole morbi maligna præbent, indicando naturæ statum perturbatum, motus spasticos particurales & reliquis paribus, criticis præsertim excussionibus haud legitime succedentibus, motus convulsivos universales. Interim hic etiam attendendum, an contingant ægroto dormienti, quod si sit, & post somnum cessent, tunc ex insomnio profectos judicandum. Universales autem ejusmodi motus convulsivo-epileptici in morbis summum non possunt non portendere periculum. Non enim precario oriuntur, sed designant præcipue in exanthematicis materiæ

miasma-

miasmaticæ summam causticam indolem, nervos irritantis, aut genus nervosum in spastico-convulsivam agitationem incitantis. Præterea exclusio hujus materiæ exinde gravissime reprimitur, vires maxime franguntur, idque eo magis, si individuum alias nullam habuit in convulsiones idiopathicas proclivitatem. Circumstantiæ tamen ponderandæ sunt, an ejusmodi motuum exacerbationes ante aut post exclusionem exanthematum obveniant. In priori casu adeo periculosæ non sunt, *vid. Excellent. Dn. D. Juncker. conspect. medic. p. 608. num. 8. it. pag. 612. num. 24. it. p. 591. sub prognos. num. 3.* quam in posteriori. Hic enim non tantum demonstrant, maximam adesse materiæ copiam, eamque nec penitus exclusam, neque eamdem sub his spasmis exclusum iri, eamdem in genere pessimæ indolis: sed, quia per spasmos exclusa exanthemata repelluntur per cutis constrictionem, summum ex instanti sæpe inducunt periculum. Nam variolæ præcipue, quo diutius exclusæ fuerunt, eo acrior facta materia, quæ retrocedens & ad viscera delapsa non potest non deleterios effectus inflammationum ac sphacelationum præsagire. Extra febres motus convulsivi tantum habere non possunt periculi. Videndum interim an adfectus sit idiopathicus & ex frequenti repetitione in consuetudinem degeneraverit, & sic a caussa mere morali deducendus sit, an certo tempore recurrat & invadat, sub quibus animi, rerum non naturalium &c. circumstantiis, an vero hic adfectus symptomaticus sit, neque periodice, sed promiscue, recurrat. In priori quidem casu medicus exinde nihil haurire poterit, nisi motuum consuetudinem ac naturæ summam ad exacerbationes proclivitatem; curam interim præterea difficillimam: in posteriori cognoscet latitantem gravissimam caussam, quæ naturam adeo insolitis motuum furiis exagitat, quale quid in pueris fit a doloribus dentitionis, vermibus, suppressis acribus sudoribus, in adultioribus ex suppressis hæmorrhagiis &c.

§. XX.

Dictum hactenus fuit de qualicumque ægrotorum ad subeundos motus potentia: Respiciendum iam non minus est ad impotentiam circa eosdem. Versatur hæc autem in eo, ut patientes cum maxima difficultate sese movere, ambulare &c. possint, ingentem sentiant membrorum lassitudinem, non simpliciter gravativam, sed penitus contusoriam, sie können fast kein Glied vor Mattigkeit regen, es ist als ob alles an ihnen zerschlagen wäre. Ut indoles morbi inde patescat, respiciendum, an statim ab initio morbi citra caussam manifestam hæc debilitatio cum virium prostratione juncta, an vero post perpessos morbi varios insultus & pathemata accedat;

 aut

aut plane a multis ante peractis laboribus animi corporisvé eveniat. Si citra omnem manifestam caussam fiat, & insuper accedat magna animi anxietas, exinde caussæ cujusdam adhuc dum molientis gravitatem hauriet quisque, quæ naturam adeo turbat, ut tono debito destituat partes, nec ad motus ordinarios ullam habeat proclivitatem. Quod tanto magis reliquis conspirantibus valet, &, nisi certa alius morbi indicia adsunt, in tali naturæ torpore semper suspicandum de malignitatis specie, & in consiliis cautissime agendum erit, nil temere nec vehementer. Ipse ægrotus est convincendus, ne se cogat ad motus ulla ratione, sed in quietissima teneat patientia, damit man sehe, wo es hinaus wolle. Sæpe enim in principio malignarum nil sentiunt, præter enormem lassitudinem & virium defectum sine caussa manifesta *vid. Excell. Dn. D. Juncker Conspect. Medic. p. 567. sub sign. n. 1.* A caussa vero manifesta si accesserit ad motus ineptitudo, a priori quidem non tantum indicat periculi, a posteriori vero considerandum, quod, dum vires ita fractæ sint, tonus præcipue, qui ad circulum humorum vivide ac proportionate prosequendum summo requiritur opere in superando incipiente morbo, præsertim acuto impar futura sit natura; quare, licet etiam ex reliquis phœnomenis morbi indoles non adeo constet; cautissime tamen cum eo procedendum, ac si foret summe malignus. Quemadmodum enim in malignis periculum ideo a priori adest, quia ad motus ob summam consternationem natura trepida; ita alii morbi febriles præsertim, licet per se non fuerint maligni, propter fractas tamen vires & tonum læsum induunt malignitatis genium. Lassitudo autem in morbis, ubi a plethora venit, tantum itidem non indicat, sed exposcit tempestivam sui per venæsectionem congruam imminutionem; sic & lassitudo, plethoræ effectus, lenietur.

§. XXI.

Sub ipso morborum progressu eo magis attendendum, an imbecillis sit æger in movendis artubus, capite, erectione corporis, ex qua, quo major est, eo major naturæ infirmitas, toni, nervosique generis resolutio, deprometur. Et, quia communiter cum summa virium prostratione & motuum vitalium turbis jungitur, hæc sane ad motus impotentia statum ex omni parte malignum declarabit. Ubi certe in febribus, si adeo debiles jacent, ut præ languore nec manus nec pedes, caput, oculos, linguam, labia &c. movere, nec verbum eloqui possint, deleterium febris eventum omni jure suspicandum suadet ratio, docet experientia. Hoc examen medicus non otiose instituet, sed hoc eum ducet, ut ægrotum pro viribus analepticis & medicamentis sensui naturæ amicis restaurare adnitatur. Quando autem

hæc

hæc motuum impotentia viriumque lassitudo accedit sub declinatione morbi, ac sufficientis solutionis præsentibus signis, cessantibus & reliquis maxime urgentibus symtomatibus, cum præterea sub ipso morbo motus satis vegete institerunt, in tali rerum statu pro periculosa non habenda erit, siquidem sic ordinarie contingit, cum in acutis, tum aliis adfectibus spasticis, nec aliter esse potest, quin vires, hactenus adeo sub auctis motibus intensæ, fiant imbecilles. Ubi etiam tranquilla ægroto injungenda continentia prohibendæque omnes virium adfectationes. Quando vero econtrario citra sufficientem lysin & citra consuetos morbo solutiones & euphoriam, vel sub declinationem, hæc virium accedat resolutio, quid quæso aliud indicabit, quam statum naturæ confusum, morbique pessimam indolem, cui superando & exterminandæ materiæ illa fuit impar facta; quare, cum nulla evenerit sufficiens excretio, illa sub hac virium jactura neque speranda erit; Præcipue, quia natura attonita insuper & enervata ad motus inepta existit. Observetur præterea eximia differentia inter motuum impotentiam & lassitudinem, quæ morbo salutariter declinante accedit, & inter illam infirmitatem, de qua jam dictum. Siquidem in priori interna tamen animi major alacritas, saltem major in quietem ex prægressa anxietate mutatio conspicitur: In hac ultima tantum abest, ut ægroti ad animi internam ducantur compositam ac tranquillam securitatem, ut potius major adsit disturbatio mentis, aut, si quieti adparent, hoc tamen nil nisi torporem sensationisque stuporem præ se ferat. Omnium maxime hæc impotentia examinanda in acutis circa instantes dies criticos, aut in ipsis præsentibus. Hæc si accedit v. g. petechiis, aut purpuræ albæ &c circa septimum, nonum aut decimum tertium vel etiam 18vum sub dictis circumstantiis, ut plurimum mortis est præsagium, ad minimum status rerum humanarum, in extremo apice constitutarum. Idque eo magis, si membrorum accedant tremores summam toni & virium designantes resolutionem. De his tremoribus artuum, cum in illorum mentionem inciderim, & ii sæpe in diversis morbis ac subjectis occurrant extra statum positum, inquirendum etiam est, an a nimia membrorum insolita fatigatione pendeant, an æger ante adsuetus fuerit tremere membris particulariter ex perversa diæta ac regimine, ubi tantum quidem non indicant periculi, quam si ex improviso morbis arduis accedunt, vel in principio, vel quod pejus, circa crisium tempus, ubi non raro sudore frigido in artubus ac facie, nec non tendinum subsultu in carpo stipati summam naturæ ex malignitate morbi debilitatem indicant. Cum de tremoribus sermo sit, incidunt adhuc in mentem senum tremores. Qui in ge-

nere cum commonſtrent virium decrementum, & ſenes exinde ſummam ad morbos habeant proclivitatem, eo certius, ſi incidant in morbos, ſub hac toni reſolutione omni modo deteriorem ſtatum medicus declarabit, ſibique prudenti proſpiciet prognoſi; ſubſumendum enim omni jure, enervationi naturæ præ ſenio, ſi accedat vis morbi, imo ne quidem medicamentis ad roborationem multum hic effici poſſe. Quare etiam ejusmodi ſubjecta omnium difficillime, ne dicam unquam, ſuperant febres acutas, dyſenterias, ſuffocationes, ſed communiter ſub extrema virium exantlatione, concurrentibus adfectibus apoplecticis, lipothymico-ſyncopticis ac comatoſis, ceu candela ægre ſcintillulans ſucceſſive extinguuntur.

§. XXII.

Succedunt actiones naturales, ac inter has primum ciborum adpetitus, cujus juſta conſtitutio non tantum organi concoctionis ſtatum legitimum, ſed maxime animi ipſius ordinariam diſpoſitionem, alacritatem ac libertatem deſignat; variæ hinc ejus a naturali aberrrationes varie teſtantur de præternaturali conditione vel organorum, vel naturæ. Adpetitus ciborum autem in morbis vel adeſt, vel deficit, vel excedit. Inquirendum proinde in genere, an ille ſibi conſtet, & quomodo ſe habeat. Si deficit, hoc fit vel in totum, vel in tantum. **Sie haben entweder zu nichts Appetit, oder können gegen ſonſten nur gantz wenig eſſen.** Æſtimandus interim in omni morbo adpetitus eſt defectus ſecundum ſtatum ordinarium, & videndum, **wie der Patient ſonſt, da ihm nichts fehlet, Appetit habe.** Multi enim naturaliter pauca edunt, multi contra voraces exiſtunt. In prioribus adpetitus, ſi vel in totum deficiat, tantæ non erit conſiderationis, quam ubi in poſterioribus, robuſtis, naturaliter fortiter adpetentibus, vel ad priorum mediocritatem reducatur. Inquirendum eſt porro, an adpetitus proſtratio ſolitaria & ſimplex adſit, an vero conjuncta cum inſigni nauſea, conatibus vomendi, ructibus, dejectionibus per vomitum. Quod ſi ſit, eo certius indicantur variæ impuritates ventriculum obſidentes; ſi ſub adpetitus defectu copioſi adſurgunt ructus, quærendum, qualem habeant ſaporem, an acidi, ſalſi, amari, nidoroſi &c. aut quales ſint, rejecta per vomitum inquirenda & oculis examinanda, an fuerit materia mucida, bilioſa, fæculenta, vel quæcunque alia. Ex quibus omnibus facile ad oculum patebit, adpetitus dejectionem, non tantum complicatas vitii ventriculi habere cauſſas, nec has ſibi relinquendas, ſed debitis medicamentis ſubigendas, corrigendas & evacuandas, ne reliquo decurſui adfectus noceant: ſed exinde etiam de remedii ſpecie adhibenda convincitur. Ex his præterea judicatu facile,

quod,

quod, remota debitè ventriculi saburra, non modo in tantum pro differentia morbi rediturus sit adpetitus, sed quod motus vomibundi, quin reliqua plurima symtomata Cephalalgiæ, singultus &c. magnum sint acceptura levaminis. In ipsis acutis incipientibus adpetitus prostratio sæpe cum manifesta saburra ex vitiis diætæ collecta, concurrit. Ubi sollicite attendendum, an etiam motus nauseabundi, vel vomitorii jungantur. In quo casu certe medicus sine opera concluderet, successum febris fore deteriorem, si in tali statu relinqueretur ventriculus; quia variæ motuum febrilium ataxiæ inde orirentur, perennis nausea, medicamentorum rejectiones, eorumque variæ a vitiosa materia alterationes. Unde expedit sub hoc statu in principio ejusmodi febrium, si vel maxime malignæ adparerent, materiam salino-digestivis subigere & incidere, & pro re nata tempestive ante incrementum febris acutæ evacuare, ne natura motus ulterius introvertat ad ventriculum, cum tamen directio ad peripheriam tam sit necessaria. Quare etiam a tot practicis in principio acutarum laudantur digestiva & emetica, quod tamen in hoc tantum statu concedunt, si adparet ex instituto examine concursus vitiosæ saburræ. Ubi autem in acutarum principio simplex adest adpetitus prostratio ex summa naturæ imbecillitate, & ideo deseruntur actus naturales, quia vitales multo magis necessarii cum majori studio perficiendi sunt, nocentissima foret crassa talis evacuatio non solum, sed & contra omnem rationem *vide Excell. Dn. D. Juncker. Conspect. medic. theor. pract. tab. LXX. sub cautel. n. 6. sequ. it. Therap. ej. p. 30. N. 10. it. p. 31. n. 6. 7.* accidit interim, ut medicus nimis sero vocatus in acutis, ubi jam per aliquot dies durarunt, varias ventriculi impuritates, cum febris malignitate eamdem exacerbantes deprehendat. Quid hic consilii? noxium est tales impuritates remanere, interim nec febris concedit fortia digestiva salina stimulantia, motus ad intestina retrahentia, multo minus emetica, virium majorum adhuc inducentia imbecillitatem. In quo certo casu magna cautione opus erit, & antifebrilibus lenissima tantum incidentia, nec magnis dosibus, immiscenda, etiam repetito potius, quam simultanee exhibenda, & cavendum, ne violenter commovendo agatur vel ἄνω vel κάτω. Interim &, statum febris exinde quovis modo periculosiorem esse, facile constabit.

§. XXIII.

Cavendum autem est, ne ex omni adpetitus prostratione in morbis ventriculi judicetur vitium, præcipue ubi concurrit citra evidentem saburræ cujusdam præsentiam, mucidæ, viscidæ, nidorosæ &c. quemadmodum in acu-

tis communiter dictum est fieri. In quibus etiam cum natura ipsa a cibis active abstineat, prosequendo studiosius circulum sanguinis pro exterminanda materia quadam noxia, prohibendum est, ne ullo modo obtrudantur cibi recusanti naturæ; multo minus inducatur medicus, ut vel exposcentibus porrigat emetica, purgantia, calida stomachica, quæ respectu ventriculi nullius usus, nec illa methodus sub reliquo statu quicquam boni sperare jubeat. Præterea ejusmodi vomitoria & acria stomachica, præter quod motus febriles turbent, spasmos cutis ac viscerum inducant, totam humorum massam ruditer commoveant, particulares insuper versus ventriculum congestiones invitant, unde vel sub toto morbi decursu sive continentes anxietates, conatus vomendi ac cardialgiæ, vel plane congestiones inflammatoriæ non raro inductæ observantur. Quantopere inde turbentur transpiratio, & reliquæ excretiones febriles, hujus loci non est explicare. Hoc tantum addo, quod in exanthematibus, ubi ne quidem salina, quin ipsum nitrum larga dosi conducunt, ob stimulum, quem in intestinis excitant, metuenda sit exinde vel funesta retentio, vel deleteria plane ad interiora retrocessio. Pari modo etiam in reliquis morbis, ubi deficit adpetitus, sollicite examinandum, quatenus conjuncta sint vitia ventriculi, ne error in medicatione committatur. Sic in adfectibus congestoriis, hæmorrhagicis, nephriticis, aliisque dolorificis, animi pathematibus tristibus, terrificis &c. Sæpe in totum, sæpe in tantum prosternitur adpetitus, non ex impuritate ventriculi, quæ nullo argumento in principio morbi probari potest, sed vel ex caussa morali, vel ad minimum materiali ejusmodi, quæ in ventriculo non hæret, sed tantum per consensum organum concoctionis adficit, vel, licet circa illud proxime obhæreat, tamen non in ejus cavo continetur; quale quid potissimum observatur in adfectibus hæmorrhagicis menstruis, hæmorrhoidalibus, ex restrictione sanguinis supra ventriculum. In his omnibus casibus probe tenendum, quod adpetitus defectus sit symptomaticus, & inde non aliter tractandus, quam ipse morbus, cui accedit. Ubi in congestionibus versus ventriculum sanguinis nitrosa temperantia optime conducunt; calida autem acria stomachica sanguinis varias incongruas eruptiones producunt; sæpe vomitui cruento in hystericis; emetica autem eo magis præter dicta obstipationibus viscerum scirrhosis, hecticæ, ac hydropi ansam præberent, & varias irregulares translationes humorum ad caput, pectus & alia loca inducerent, ac si præsentes jam sint, confirmarent. Et licet etiam concurrat aliqua saburra, ab omni tamen rudi tractatione abstinendum esse, hoc prævium circa adpetitum examen docebit, ne curando in tantum

malum

minus, majus immane quantum exacerbetur. Interim, quo magis & hic ſymptomatice proſternitur adpetitus, eo gravior indicatur ſymptomatum gradus, dolorum, anxietatis, congeſtionis &c. monſtrandum proinde ægrotis, non ſubeſſe vitium ventriculi. Communiter enim de nulla re magis, quam de hac ſolliciti ſunt ægroti, dicentes: ſie hätten ſchon ſo und ſo lange nichts gegeſſen, wenn ſie nur Appetit hätten, ſie wolten was für den Magen haben, denſelben recht auszuſcheuren. A quo tamen conamine & prudens quisque medicus cavebit, & ſuos ſollicite dehortabitur, ne poſt tergum incongrua admittant, dicat, rediturum adpetitum ſublata cauſſa morbi, hunc in præſentiarum minima dignum eſſe attentione. Tale quid etiam maxime contingit in graviditate ſub ſtatu plethorico, vel aliis circumſtantiis ſanguinem nimis verſus ventriculum reprimentibus, unde non tantum plenaria defectio adpetitus, ſed & cardialgia nauſeoſa, quin vomitus ipſe urget. Quem adpetitus defectum, niſi probe obſervet medicus & examinet, in ſummas conjiceret ærumnas ægrotam, ſi daret emetica, purgantia, calida, acria ſtomachica, ad minimum facilitaretur abortus.

§. XXIV.

In omni autem proſtratione adpetitus, quo conſtantius durat, ubi præterea ſub reliquo morbi decurſu vehementibus doloribus, vigiliis, aut aliis ejusmodi ſymptomatibus obruitur æger, medicus ſane de virium conſumtione in dies augeſcente certus eſſe poteſt. Id quod eo magis valet in adfectibus ſenum, in quibus naturaliter jam languet adpetitus, qui ſi magis adhuc frangatur, tunc profecto virium maximum decrementum cum ſepulchrali corporis extenuatione metuendum. Unde medici erit, ut, licet natura recuſet cibos, nec eos digerere queat, hinc nec conſultum ſit, aliquid ipſi obtrudere, cum ſæpe a ſolo odore & nomine ægre adficiantur, ſub medicamentis tamen exhibeat moderata conjuncta analeptica, confortantia, emulſiva ac gelatinoſa, quæ ad minimum pro ſumma neceſſitate qualemcunque virium corporisque conſervationem efficere poſſunt. Nec rejiciendi penitus hoc ſcopo commendati jam a veteribus clyſteres nutrientes, ubi nihil per os nutrimenti ægris poteſt ingeri.

§. XXV.

Ex præſentia autem adpetitus, & quando cibi ingeſti non tantum ſine incommodis retinentur, ſed & ſatis bene digeruntur; exinde tolerabilem morbi ſtatum plerumque judicare licet, & non tantum de vigore qualicunque naturæ ipſius, ſed & de organorum concoctionis illibato ſtatu certus eſſe poteſt medicus; præter ea de eo, quod vires ſub ipſo morbo non adeo

fractæ fuerint, nec adeo exhauſtum iri corpus. Inquirendum autem, quid adpetant, & quid edant, ne noxia morbo ipſi ingerant, dura, dyspepta, in febribus præcipue lacticinia, ova frixa &c. ac pro conditione ægrotorum præſcribenda diæta cum regulis diæteticis. Quod ſæpe adpetitus fictus ſub febribus acutis delirii graviſſimi ſpecies ſit, ſuperius jam monitum. Cavendum maximopere, ne his ægris in puncto vitæ conſtitutis alimenta porrigantur. In variis aliis morbis, ſæpe ingenti torquentur fame, præcipue febribus quartanis, malo hypochondriaco &c. Qui enormis adpetitus ex ingenti ventriculi provenit aciditate, & eo ipſo de adfectus indole teſtatur, ſtatumque deſignat præternaturalem. Hic primum omni modo prohibendum, ne ſub paroxyſmi tempus in febribus cibos capiant; ſiquidem omnia febrilia ſymptomata, anxietatem, æſtum, dolores capitis, ſudores anxios, frigidos &c. inducturos, & exacerbaturos, conſiderando ſimul, quod ſub tali ſtatu nil debite concoquatur ac mutari poſſit in chylum; unde impuritates primarum viarum augerentur, vaſa lactea & glandulæ meſaraicæ craſſa impura materia infarcirentur, & febris hoc ipſo in longiſſimum protraheretur tempus. Tunc potius diluentia, mucilaginoſa, abſorbentia exhibenda, materialem famis cauſſam nimium acorem refrænantia; extra paroxysmum moderamen injungendum eamdem ob cauſſam: corpus enim impurum quo magis nutrire cupis, eo magis læſeris. Pari ratione & infantes in præſentia vermium & ſub atrophia enormiter ſæpe eſuriunt, ac ita exiſtunt inſatiabiles, ut ſi porrigas, quocumque tempore avide comedant. Qui pariter probe arcendi ſunt, ne in utroque caſu inconſulto adfectus deterioretur; Nec minus in aliis morboſis adfectibus, ubi ſatis conſtat adpetitus, inquirendum, quid edant, ac omni modo diæta ordinanda, ne adhuc magis turbetur adfectus. Sic v. g. in adfectibus ſpaſticis, congeſtoriis &c. omnia calida, cibi nimis aromatiſati, in ulceroſis ac ſcabioſis, lue venerea, ophtalmia ſeroſa, purpura chronica &c. omnia nimis ſalſa, acida, dulcia viciſſim, mucida, carnes ſuillæ impuræ, & hujus furfuris, inhibeantur. Præcipue obſervandum hoc in feminis, ubi menſes, aut in viris, hæmorrhoides inſtant periodicæ, & circa illud tempus ſollicitiſſime inculcetur, ne perverſo adpetitui indulgeant & v. g. circa menſium periodum panem calidum e clibano vix extractum, paſtillos farinaceos duros, carnes duras, acida, fæculenta &c. ſumant, quæ omnia turbas inferunt circulo ſanguinis per venam portæ, quin plane in ſenſibilibus vomitorios conatus inducunt. De reliquo autem maxime ſub tali rerum ſtatu moderatio in cibis capiendis ſuadeatur, quæ cautela etiam in ſtatu valetudinario ſemi-ſano quaſi plethoricorum obeſorum

&c.

&c. qui communiter nimium edunt, obſervanda, quibus in aurem dicendum, optimam regulam pro ſanitate ipſis hanc eſſe, ut nunquam penitus ſatiati de menſa ſurgant. Poſt ſuperatos morbos maxime febriles, ſi redit adpetitus, nunquam ſub examine omittatur cohortatio, caveant, ne ſimultanea ciborum ingurgitatione recidivam, aut aliam noxam arceſſant, melius eſſe, ſi ſæpius & parcius edant; vires enim largo cibo poſt morbum arduum nec colligi, neque conſtantem fore euphoriam.

§. XXVI.

Adpetitus hucusque, quatenus circa cibos verſatur, conſideratus, nunc reſpectu liquidorum, ſeu potuum itidem meam ſubit conſiderationem, cujus conditio ſub vario ſtatu præternaturali non minus eſt ponderanda. Quo magis humores conſumuntur & excernuntur, eo magis exareſcunt fauces & glandulæ oris, humorum autem conſumtio nititur reſpectiva eorumdem per corpus circumagitatione. Hinc quo fortior humorum motus, eo magis reſolvuntur, conſumuntur, eoque magis exareſcunt organa ſalivalia. Quare quo fortior motus, eo intenſior & fortior ſitis. Ex varia itaque ſitis conditione de varia motuum humorum conditione judicari poteſt, uti in ſtatu naturali, ſic præcipue in præternaturali. Et quia, uti dictum, ſanguinis motum fortiorem æſtus major & caloris excipit incrementum; ſic a gradu ſitis, gradus caloris interni depromi poteſt, non minus, quam gradus ſiccitatis oris, ac faucium. Cum autem non omnis faucium ſiccitas, nec quilibet æſtus internus promiſcue quovis tempore abſolute ſitim veram inferat (prouti obſervatu obvium eſt in melancholicis, ſanguinis ſpiſſitudine laborantibus, qui plane vero non ſitiunt, licet interim ſæpe præ ſiccitate faucibus hæreat lingua,) ſed requiratur naturæ internus ſenſus, attentio & æſtimatio; ſic non minus ex ſitis varia intenſione ſimul variam naturæ in percipiendo activitatem ob cauſſam extraordinariam hariolamur. Neque enim ſitis pure mechanice abſolvitur. Qua propter etiam potiſſimum in ejusmodi adfectibus ſitis maxime intenſa obſervatur, ubi activitas magna naturæ in motibus humorum & adeſt, & requiritur; quale quid contingit in febrium omnium ſpeciebus. Inquirendum proinde in adfectibus morboſis, an patientes ſitiant modo plane præternaturali. Quodſi ſit, merito de æſtu interno & cauſſa, humiditatem conſumente, nec non faucium ariditatem inducente, ſuſpicio erit. Quæ omnia eo fiunt certiora, ſi præterea ex ægrotantis confeſſione conſtat de ipſius ſenſu ardoris, æſtus præternaturalis, & ex reliquis ſignis, inferius attingendis, exploratum ſit, quomodo ſe habeant pulſus, reſpiratio, urina & ſudor &c. In omnibus

 adfe-

adfectibus, quibus non ordinario complicatur febris v. g. in ſpaſmis, congeſtionibus, excretionibus ſanguinis & ſeri, in atrophia infantum &c. ſi ſitis præterea multum urgeat, medicus exinde junctos motus febriles judicare poteſt, ſimul quod adfectus methodo febrili tractandus ſit. Tanto autem magis in ipſis febribus ſtricte dictis ad ſitim attendendum ejusque conditionem, ubi in febribus intermittentibus obſervandum, an ſub frigore & rigore valida inſiſtat ſitis, quod ſæpe contingit a conſtrictione faucium ſpasmodica, da die Zähne klappern, præ ſpasmodica muſculorum agitatione, præcipue ſi inſimul variæ ſalinæ, acidæ, bilioſæ ſaburræ adſint in ventriculo. In quo caſu injungendum, ne ſitis potu largo ſimul & ſemel ingurgitato, frigido maxime, calentibus viſceribus internis, leniatur, prænuntientur anxietates, nauſeæ, vomitus, & dicendum eſt, ut potus adhibeatur tepidus, isque per vices ſorbendus, talis, qui ſimul ſpaſmos faucium reſolvat. Unde pro hoc ſcopo Nitrum ſalutariter potui inditur, aut lapis Prunellæ ore detinetur. Hæc omnia multo accuratius ſunt ſub ipſo excipiente æſtu obſervanda. In acutis præ omnibus ad ſitim reſpiciatur, ubi conſtare debet, quod fere ad febris naturam ejusque felicem decurſum requiratur; ſiquidem non tantum æſtus præternaturalis humores valde exagitando & reſolvendo, excretiones ultra ſolitum intendendo, fauces glandulasque oris exarefaciendo, eam producit; ſed, quia in febribus acutis humiditas ita conſumitur, & tamen in illis materia febrilis reſidet, quæ non niſi ſub liquido vehiculo circumagi poteſt ad peripheriam pro excretione ſui adipiſcenda, neceſſarium propterea penitus eſt, ut ob utramque cauſſam ſufficienter humectetur corpus. Antiquitus incongrua fovebatur opinio de noxio effectu potus in acutis, cui tamen hodie non amplius ſubſcribitur, docente ratione & experientia. Pro meliori interim febris cognitione examinandus eſt gradus ſitis. Quo enim intenſius illa urget, eo graviorem æſtum eoque graviorem febris aut febrilium ſaltem commotionum ſtatum indicat; quo autem illa moderatior eo etiam moderatior æſtus & reliqua præcipue ratione excretionum moderatiora obſervantur. Inquirendum deinceps itidem eſt, quando maxime ſitis inſiſtat, ut exinde eo clarius exacerbationes febriles etiam præter reliqua ſymptomata dignoſcantur; id quod præcipue in acutis utile pariter eſt ac neceſſarium, ubi multum ad adfectus diagnoſin ratione indolis refert ſcire, utrum ſitis æſtus ſocia certo tantum tempore ingraveſcat, an vero illa ipſa vix unquam notabiliter remittat; uti in ſynochis continentibus, inflammatoriis, febre ardente bilioſa, cauſo, in qua ſpeciatim ſitis eſt inextincta, unde & clamoſa audit. Porro examinari debet potus qualitas, & quid bibant

ægro-

ægroti: Ubi omnis potus consistens, nimis spissus, calefaciens inhibeatur, qui tantum abest, ut sitim leniat, ut potius, intestinum sanguinis motum & sic progressivum ejus ac calorem augendo, symptomata febrilia exacerbet, excretiones salutares interturbet, caput tentet, deliriis ansam præbeat &c. quo respectu & præcipue vini potus, juscula vinosa &c. abesse debent in morbi acuti febrilis incremento ac statu. Præscribendus proinde ægrotis est potus tenuior, de quo bibere possint sine damno, quantum velint. Circa eumdem tamen tenuem potum providendum, ne sit ille fermentescens, ad tormina, flatus, quin diarrhœas calamitosas producendas aptus, nec fæculentus, sed idem purus, moderate tamen reficiens ac gelatinosus. Unde hoc passu in acutis maxime pro conditione ægrotantium optime præscribuntur ptisanæ ex hord. mund. C.C. ebor. dent. apr. scorzoner. apio &c. utile decoctum Boerhavii ex decoct panis aquos. cum tantill. vini & moment. sacch. ac succo citr. Cerevisiæ tenues, qualis hic loci est, Lœbeginensium, pauperibus etiam secundariæ (Koffent) puræ conducunt, quæ omnia, tum pro majori gratia, tam pro melius contemperando æstu grate acidulari possunt. Spir. acid. mineral. aut Succ. vegetabil. præcipue succo recent. citr. & ex his paratis syrupis acetos citr. citri totius, ribium, berber. granat. Quin ipse potus aquæ puræ & simplicis a multis effertur. *vid. Illustr. Dn. Hoffm. Differt. de salubr. aq. frigidæ. it. in medic. rat. system. tom. IV. sect. I. c. X. §. IV. V. seqq.* Modo pariter hic examinandum erit, utrum individuum hunc vel illum potum ferre possit sine ulla molestia; sin secus, alius mutatis mutandis substituatur, aut idem corrigatur. e. g. si a potu nimis tenui ventriculus ægre haberet, flatulentiæ vel diarrhœa producerentur, addantur tunc potui lenia tonica v. g. Cort. aurant. Citr. aut elæosacch. quoddam parcissima quantitate. Maxime autem provideatur, ne potus quicunque frigidior in acutis maxime ingurgitetur; Quo magis eumdem efflagitare solent, **man solle nur einen eintzigen Trunck zur Erfrischung erlauben.** Talem enim potum funestissimos in his febribus producere & posse & solere eventus, per omnes constat; turbando nempe utilissimas se- & excretiones præcipue per cutim (siquidem magnus est cutis cum ventriculo consensus, ejusdemque cum omnibus partibus fere capitis thoracis & abdominis) deinde gravissimas inducendo cardialgias, vomitus, raptus humorum ad caput, phrenitides, paraphrenitides, stases inflammatorias sanguinis ferventis circa ventriculum, pulmones, constringendo præterea viscera interna, ventriculo per vasa & nervos arctissime nexa, idque tanto magis, quo vehementius æstus internus insistit. Præcipue tamen deleterius plane est frigidus potus in morbis exanthema-

thematicis, specialissime, ubi crisis certis diebus imminet. Propterea omni potius studio commendetur potus tepidus, qui, præter quod stricturam faucium relaxando sitim optime levet, insimul etiam elasticitate caloris subvectus per omnes tubulos sine mora penetrat, transpirationem conservat, ventriculo & intestinis nullas creat molestias: calidus autem nimis & positive talis fervidus plane potus omni studio est fugiendus. Hinc nimius abusus potus Thée, Coffée in purpura præcipue & continentibus febribus vel aliis ob solemnem hodienum & fere perpetuam purpuræ complicationem, ubi jam urgent interni æstus, sæpe existit noxius, & ne dicam, curam difficilem, quin frustraneam efficit, sanguinem adhuc magis agitando, anxietates internas cum jectigationibus augendo, & sudorem inutilem præmaturum, vel eumdem nimium ad febrem non pertinentem, hinc magis & fatigantem symptomaticum præcipitando. Quamquam moderatus de cetero usus tepidi nec positive fervidi potus in tantum concedatur. De reliquo omnia sunt conjungenda, quæ symptoma sitis sine damno mitigare possunt, æstum contemperando, & placidam promovendo diapnöen, sic exhalante cum leni sudore successive calore remittet pulsus, & spasmorum exacerbatio remittet, & exinde sitis.

§. XXVII.

Ad quantitatem potus non minus respiciatur, ubi quidem potus descriptus secundum omnes qualitates morbo accommodatus tantum concedi potest, quantum ægroti desiderant, attendendo interim, ne simul & semel largis haustibus, sed repetitis frequentioribus vicibus, capiatur. Pariter etiam videndum, an potus ingestus proportionate iterum, vel per urinam, vel per sudorem, secedat, nec intra vasa obhæreat, aut in primis viis subsistendo inflationes ventris, respirationis difficultates, internasque angustias vel plane diarrhœas producat. Quod tanto magis consideratione dignum, si morbis acutis accedat vitium organorum urinariorum, spasmos vesicæ varios inducens, stranguriam, ischuriam, dysuriam, vel plane conjunctus calculus sit, ubi primum quo fieri potest modo hisce incommodis medeatur medicus externis potius quam internis. Extra statum febris acutæ sub hydrope ascite & ubi jam vera adest vasorum lymphaticorum ruptura, aut prævalida viscerum obstipatio, sub concursu febris hecticæ sæpe etiam intense sitiunt ægri; si quidem conjungitur enormis linguæ fauciumque siccitas glutinositasque salivæ. Hic pariter ponderet medicus, an consultum sit, ut ægrotus adeo largiter potum hauriat. Ille enim potus per viscera oppilata nescit transire, aut ex vasis ruptis exstillat, in utroque modo nocet, viscera

ra diſtendendo & ita vaſorum lymphaticorum rupturam accelerando, vel tumorem aſciticum augendo. Sæpe enim ad quantitatem potus in hydrope augetur tumor, & ejus juncta ſymptomata. Hinc ſub tali rerum ſtatu moderamen majus in quantitate potus habendum erit, & potius moderatis analepticis, nitroſis in ore detinendis, collutionibus oris, faucium ſiccitas demulcenda, & internus æſtus moderandus; ſemper tamen eo magis hic neceſſarium erit diuretica ac laxantia ſubordinare, ut reſorbeantur extravaſati vel ſtagnantes humores in ſua vaſa & reducantur in circulum.

§. XXIIX.

In defectu ſitis præternaturali in talibus morbis, qui nec ſemper, nec ordinarie junctas habent commotiones febriles, reliquis paribus ſignis, eo certior fiet medicus, quod ille adfectus ſolus urgeat ſine humorum peculiari commotione faucium inducente ariduram. Videndum tamen, an defectus ſitis inducat potuum neceſſariorum inſufficientem & fere plane nullam aſſumtionem, & exinde adfectus dies ingraveſcat. Sic qui humorum laborant ſpiſſitudine, hypochondriaca, hyſterica, ſedentarii, litterati, ſpeculabundi in ſuis paſſionibus fere nullam habent ſitim, unde multi ſunt, qui fere nihil bibunt. Quando de eo quæruntur, reſponſioni reddunt, quod non ſitiant. Hic medici erit monſtrare neceſſitatem ſufficientis potus, bibendum eſſe tantum, licet non ſitiant, defectum ſitis non proficiſci ex humiditatis abundantia, ſed partim ex ſpiſſitudine ſanguinis & ſegniore ejus motu, ac partim naturæ in percipiendo torpore. Quem ſtatum quotide auctum fore, neglecta ulterius potus adſumtione. In morbis autem acutis defectus ſitis medico ſemper ſit ſuſpectus; ubi probe conſiderandum, an forte ille proveniat ex inſenſibilitate, ubi eo magis monendi erunt adſtantes, ne patientem ſine potu relinquant, offerendum eſſe, licet non deſideret; porro, an ſitis revera deficiat, aut an patiens tantum præ nimia debilitate potum non adeo ſæpe expoſcere queat, cum interim oris, faucium, linguæ ſiccitas, & reliqua ſymptomata ſatis de præſentia ſitis, ſaltim neceſſitate potus teſtentur. Sæpe etiam ægroti patientes jacent ac quieti, omnia ſua pathemata & ſitim tolerant, conqueſti, an ſitiant, ſæpe reddunt: ſie träncken wohl, wenn man ihnen was anböte, ſie könten nur nicht vor Mattigkeit ſo offt reden. Nec minus examinandum, an plane præ alienatione mentis non ſentiant ſitim, in quibus omnibus circumſtantiis medico incumbit, illis, qui ægri gerunt curam, neceſſaria circa hæc injungere. In morbis malignis præſertim ſæpe in totum deficit ſitis, quod ipſum malignitatis præbet cum reliquis ſignum. *vid. Excell. Dn. D. Juncker. Conſp. medic. pract. p. 576.*

576. n. 4. &c, In his enim febribus omnia ſunt tranquilla, nec fortis pulſus, nec fortis æſtus, nec ſiccitas inſignis oris, nec inde valida ſitis. Et quemadmodum minor exacerbatio fit propter malignam materiam, quæ fortes motus non tolerat pro ſui excretione, partim ob naturæ torpidum metum ſæpe conjunctum adhuc magis motus languent; ita utrumque periculoſum ſtatum, ex utraque parte ſatis clare indicat ac involvit. Attendendum interim eſt ad gradum, an in totum, an in tantum deficiat ſitis, aut ille naturali ſaltem ſit æqualis. Quodſi deficeret in totum, periculi foret pleniſſimus ſtatus. Indicaret enim primo motuum febrilium ſummum defectum, ex quo minor proficiſcitur liquidorum adpetentia, naturæ præterea maximam inſenſibilitatem, quæ vel ex confuſo terrore, vel impotentia a ſumme maligna materiæ indole pendente movere nequit vigoroſe. Unde cum humores haud valde, ne quidem ad neceſſitatem moveantur, nec validus æſtus, nec larga diaphoreſis, aut diureſis, nec aliæ notabiles excretiones, torpentibus ſub languido circulo ſecretionibus, unde nec ulla ſitis. In hoc ſtatu potibus etiam ſolis non multum proficitur; conſideratio hæc potius medicum eo ducat, ut ſtudeat partim naturam excitare, partim etiam materiam malignam quocunque modo concentrare, corrigere & invertere, tunc certior erit, quod ſub acceſſu majoris motuum vigoris ſitis etiam magis tanquam effectus rediturus ſit. Interim non penitus potibus deſtituatur æger in tali febre, ſed offerendus ſubinde eſt talis, qui maxime morbo congruus, unde potus tepidus, quin magis calidus inſtructus remediis malignam materiam concentrantibus & alcalinam indolem ejus invertentibus, qualia ſunt acida ſuperius jam recenſita. Ab omni autem abſtinendum confuſa liquidorum promiſcua obtruſione in his malignis; ſiquidem ſitis plane naturalis, ex naturalibus cauſſis non multum turbatis provenit; unde nec a priori nec a poſteriori tanto potulentorum apparatu opus eſt, cum materia liquida nimis contra voluntatem ægroto obtruſa propter ſummum motuum defectum, & partium ſolidarum debilitatem juſte denuo excerni nequeant. Sufficiet hic tantus potus, qui etiam ſufficit pro conſervanda humorum fluxilitate, pro vehiculo medicamentorum & ipſius febrilis materiæ, conducitque potius eo ſæpius potiones analepticas offerre.

§. XXIX.

Adpetitum ciborum ac potuum ejusque variam conſtitutionem ſequitur corporis ſecundum individui temperamentum indolemque reliquam proportionata nutritio, ubi pariter in morbis attendendum, quomodo ſecundum hanc ſe habeant ægrotorum corpora. Quodſi enim nutritio partium

tium haud multum vitiata adpareat, rectiſſime exinde medicus inferet, gravitatem morbi non tantam eſſe, ut motus humorum ſolidorumque debiti transpreſſorii ac admiſſorii vel ultra modum intendantur, & ſic motu auctiore decreſcat corpus, vel remittantur, & ſic etiam non ſufficiens æqualiter omnibus partibus laudabile adferatur nutrimentum. Deinde patebit legitima organorum concoctionis chyli, ejus ulterioris elaborationis, diſtributionis, depurationis conſtitutio, ventriculi duodeni horumque glandularum, pancreatis, ut & meſenterii, hepatis ejusque meatuum debita, nec non reliquorum nobiliorum viſcerum vaſculoſorum integritas; quæ alias læſa vel humorum inducit vitia, hinc & vitiat nutritionem, vel motus activos febriles lentos hecticos ſecum trahit, & ſic corpus extenuatur. Non minus indicatur ex bona nutritione naturæ motuum directoris in agendo energia. Quare ſi v. g. in adfectibus pectoris, qui ſæpe pro phthiſicis habentur, nec raro in eos transmigrant, ſi nutritio adhuc in ſalvo eſt, ipſius adfectus ſtatus quocumque modo begnior a læſa ulceratoria alienus deſignabitur, quæ alias communiter hecticam habet ſociam cum decremento corporis; ſic in atrophia infantum incipiente, adfectibus ſenum &c. idem valebit judicium ex præmiſſis circumſtantiis. Et quod magis, ex hac inquiſitione utilis medico patebit prognoſis, quod virium præſentia, quibus ſane omnis felix morborum curatio abſolvitur, ſub adfectu a nutritione ſatis legitima indicata ſpem faciat melioris ejusdem ceteris paribus ſucceſſus. Diſtinguatur autem ubivis nutritio vera a falſa, quando ægroti ſub morbis videntur pleni ac carnoſi, interim habitus penitius conſideratus cachecticus tantum eſt, tumidus, pendulus, ac oedematoſus, ſie ſehen nur aufgedunſen aus, quæ conſtitutio indicat certe ex reliquis primo jacturam toni, deinde virium laudabilis humorum lymphalium depurationis unde dyſcraſia ſeroſo-mucida prævaleſcit, lymphaque labem contrahit, quæ nec debite partes nutrire poteſt, ſanguinem ipſum impurum reddit ac nimis ſeroſum, adeoque partes tumidæ ſolideſcentiam amittunt cum ſuo tono, eoque ipſo majoribus indies impuritatum patent & receptioni & generationi. Quale quid ſæpiſſime contingit in adfectibus feminarum ex vitio menſium contractis cachecticis, chloroticis, in viris ex ſuppreſſione hæmorrhoidum, in pueris ſub atrophico ſtatu &c.

§. XXX.

Nutritionis autem defectus in omnibus morbis exceptis ſolis febribus, ubi non tantum ſimpliciter non nutriuntur partes, ſed penitus fere ad marcorem exeduntur, maxime ſuſpectam & periculoſam facit eorumdem in-

dolem. Quemadmodum enim ex legitima individuo proportionata nutritione non tantum legitima organorum, sed & motuum vitalium justa constitutio naturæque activitas ordinaria intelligitur: ita a notabili corporis decremento organorum concoctionis, chymificationis, ulterioris chyli distributionis depravatio, obstructio vel quacunque læsio, præterea motuum vitalium anomaliæ notabiles designantur. Quo gravior autem nutritionis læsio, eo gravius etiam organa aut viscera interna præsumuntur læsa. Sisto e. g. pectoris adfectum phthisicum, qui sæpe exinde, conspirantibus modo reliquis signis, eo certius indicatur, quando notabilis concurrit corporis extenuatio. Quæ quo magis procedit usque ad faciem Hippocraticam & osseam veluti contabescentiam, eo sane deterior erit adfectus, ac exinde medicus facile videbit, ibi se non multum effecturum esse, nec non intelliget exinde febris hecticæ humores & partes exedentes veram indolem quam clarissime; quæ febris provenit a læsionis gravitate in pulmonibus, & quam quidem ad salutarem finem natura dirigit, quem obtinere tamen nequit, unde potius humores cum solidis magis exeduntur, ut deinde ex utroque fundamento motuum sub finem oriatur languor, qui terminatur in paralytodeam partium laxitatem, ex qua sudores ac diarrhϾ colliquativæ, sudores quidem viscosi, multum lymphatici, placida denique mors. Quidquid itaque hic ad salutem effici posset, constat, illud consistere in febris hecticæ mitigatione, si quidem hac, non vero phthisi occumbunt: quam difficile sit hoc, naturæ motus componere propter læsum viscus excitatos, perdocet quotidiana experientia. Sic pariter in atrophia infantum & aliis adfectibus chronicis ex deficiente nutritione, pro ejus varietate variam caussæ morbi præsentis gravitatem medicus hauriet. In omnibus excretionibus naturalibus sanguinis hæmorrhagias, serique per diarrhœas, sudores, si accedat decrementum corporis, patebit earum status intolerabilis, da die Leuthe gantz verfallen, wie die Schatten vergehen. In nimiis etiam talibus excretionibus cum tabe junctis communiter latet dignissima & gravissima caussa. v. g. in nimiis, passive quasi fluentibus, hæmorrhoidibus labes communiter hepatis subest. Tanto autem omnia sunt deteriora, si extenuatio corporis eveniat simul & semel. Ubi quidem sensibilitati individuali aliquid largiendum. Dantur enim, qui vel leviter adfecti doloribus, vigiliis, animi pathematibus, statim corporis patiuntur decrementum, facies contracta ultra solitum pallet &c. in qua individuali circumstantia ingens latitans periculum non statim medicus hariolari potest, sed hæc potius caussæ individuali morali magis adscribet.

§. XXXI.

§. XXXI.

In febribus omnibus, uti jam dictum, excepta sola hectica, læsionem veram viscerum supponente, simplex nutritionis defectus haud adeo magnifaciendus. Siquidem sub hoc rerum statu, dum natura corpori imminens damnum fortioribus vitalibus motibus avertere consultissime studet, non potest fieri, quin humores consumantur & idem fortior fluidorum per solida impetuosusque motus consumat solidorum carnosam consistentiam. Hæc autem consumtio, per indirectum ob nobilem finem obtinendum accidit, ut avertatur imminens corpori periculum, hærens vel in visceribus, vel in sanguine. Hoc ergo respectu decrementum corporis sub febribus, tanquam salutare a medico considerari meretur; siquidem melius est, corpus in sua extensione ad tempus diminui, quam in perpetuum totam œconomiam animalem subverti. Hinc & maxime inconsultum foret, sub febribus hunc nutritionis defectum primario respicere, & multis eduliis ægrotum obruere, quæ natura recusans æqui bonique haud verteret. Sub ipsis intermittentibus jam adest caussa in organis, per quæ præparatur corpori & subministratur alimentum, lædens eadem, & læsura etiam in futurum ipsum nutritionis proximum actum. Quare ut resarciatur organum, febriles motus instituuntur, ubi certe satius est, sub his motibus corpus in tantum consumi & in labores naturæ salutiferos respectu finis, respectu eventus, quam, ut posthæc, penitus depravatis organis, plane numquam amplius nutriri queat corpus. Ideoque consumtio corporis in his febribus ab exacerbatione motuum vitalium, reliquis paribus non est malignæ notæ, sed insumuntur vires labefactatæ, ut novæ durabiliores acquirantur. In acutis materia quædam in sanguine vel in lympha obhæret, quæ brevi totam humorum massam non modo fermento putredinis impraegnaret, sed putredinem ipsam brevi positive induceret dissolutoriam. Quod ne fiat, motibus natura insurgit, materiam hanc studet ex nexu suo arctiori cum sanguine disturbare, resoluere, ad locum commodum minus pericolosum propellere, & protinus hinc excernere. Hi motus eo majorem corporis post se trahunt extenuationem, quo magis illi sunt continui ac vividi, sed eodem respectu futuri usus eandem, quin majorem pollicentur salubritatem. Ipsi etiam ægroti sub hoc rerum statu vel penitus marcore exesi nihil adpetunt, quia sub prosecutione finis nobilioris & sub vincenda caussa acuta non cogitari potest de cibis ingerendis, concoquendis, ac distribuendis. Exinde, quicquid renitenti naturæ obtruditur, inconcoctum remanet, nutritionem inter minima damna adhuc magis a priori ac posteriori turbat. Quan-

quam autem defectus nutritionis in febribus medicum adeo terrere non debeat, graduum tamen diversitatis habenda erit ratio; quo maius enim corpus tabescit, eo gravior certe febris ejusque caussa indicatur: videndum præterea, an corporis decrementum respondeat prævio successui laboriosorum motuum, an vero plane non respondeat, quod multæ considerationis dignitatem diversis respectibus ad caussam graviorem internam habitis involveret v. g. si quis per paucos dies febre laborans adeo extenuaretur corpore, ac si per tres hebdomades fortissimis motibus colluctatus fuisset. Et, licet etiam in supra dictis circumstantiis defectus nutritionis ceteris paribus nec periculosus sit in præsens, nec in futurum, nec, uti dictum, propterea multas curas medico facessat: convenit tamen interim ægrotum in tali statu, non quoad habitum, sed quoad vires nutrire, analepticis, emulsivis, gelatinosis, liquidioribus. Ex dictis hactenus sponte fluit prognosis, quod febriles fortes motus, si cadant in corpora maxime emaciata, fame, laboribus enormibus defatigata, senilia, exsucca, vel aliis modis consumta, & iis adhuc major accedat humorum ac solidorum resolutio, natura impar fuerit superare: Hinc videas etiam ejusmodi subjecta sub acutis communiter occumbere relicta nil nisi sui umbra. Antequam ab hac materia discedam, paucis mihi videtur injicienda mentio, quod dentur febres, quæ primario pro imminuenda plethora excitantur v. g. febres continentes unius & plurium dierum ephemera dicta, synochus, in quibus eo minus consumtio habitus athletici pertimescenda, siquidem ex combustis per æstum febrilem, quasi senescentis sanitatis cineribus renascitur iuvenis salutis phœnix. Quemadmodum non minus multæ aliæ febres, si præcipue cadant in subjecta plethorica, licet earum caussa materialis remota sit v. g. vitium primarum viarum, materia catarrhalis in pulmonibus, glandulis, oris ac faciei &c. non tamen prius cedunt, quam resoluta sufficienter humorum abundantia, quæ proinde non immerito secundario nomine, Der Schmeltz-Fieber insigniuntur, qui etiam non nisi venæsectione motus febriles secure mitigari ac sopiri possunt. De reliquo circa hæc adhuc animadvertendum, utrum post superatam febrem cum reliquis redeuntibus ad se actionibus, revertatur etiam proportionata & successiva corporis nutritio. Quæ si deficit, merito suspicandum de reliquiis ex febre in organis concoctionis & distributionis Chyli latitantibus, vel in alio quodam nobiliore viscere vasculoso multis lymphaticis vasis donato. Quare ægrotus quovis modo moneatur, ut sibi caveat, nec securus sit, ipse medicus autem pro re nata, quid consilii capiendum, quidque remediorum adhibendum suadeat necessitas, providebit.

§. XXXII.

§. XXXII.

Ad nutritionis actum pertinet adhuc particulare lactationis negotium in feminis, conservationi non proprii, sed alieni corporis, editi nempe in lucem fœtus, destinatum. Notabilis certe res est, quod non tantum sub hoc statu lacti fere omnia corporis feminarum vitia, præcipue humorum, sanguinis, lymphæ ac seri longe tunc evidentius imprimantur, sed hoc adhuc magis mirandum, hoc negotium adeo esse sensibile, ut ipsa animi pathemata cum lacte & per lac infanti communicentur, pariter ac vitia corporis materni, & sic ab incongruis matris aut nutricis animi motibus, terrificis, iracundis, melancholicis, gravissima pathemata incurrant tenelli epilepticorum, convulsivorum aliorumque dirissimorum adfectuum. Quapropter ex differenti lactationis conditione & successu, uti in statu naturali ex bono ejus secundum omnes qualitates statu eo certior erit medicus de sanitate matris & infantis, (quia velut omnes adfectiones naturæ maternæ lacti in imagine brevi depinguntur,); sic potissimum sub ipsis morbis ex varia alteratione lactis secundum diversas circumstantias de varia adfectuum urgentium conditione eo magis convincetur. Profecto enim feminarum adfectus, si in lactationis incidant tempus, suam indolem lacti sensibilissime imprimunt, eo magis, quo sunt ipsæ sensibiliores ratione animi. Dum autem de cognoscenda adfectuum indole ex læsa lactatione loquor, non æque ejus intelligo læsionem in quantitate vel excedente, vel deficiente, sed potissimum læsionem in qualitate diversa. Examinetur hinc sub statu valetudinario lactantium lactis ipsius conditio, quatenus illa ex adfectu labem contraxerit, an lac sit nimis spissum, pingue, mucidum, an nimis tenue & serosum, an ratione coloris mutatum sit in viridescens, cærulascens, flavescens, an ratione saporis sit salsum, acre, amarum; Ex quibus omnibus melius cognoscetur, qualis sit sub adfectu humorum status, quem indoles lactis veluti in compendio exhibet:. ubi tamen simul probe inquirendum, an mammæ etiam sint in justa dispositione, nec exinde in ipso tantum secretionis organo lac vitietur. Ex lactis proinde, ut ad priora redeam, spissitudine mucida adfectum lactantis exinde catarrhalis indolis esse intelligetur, pariter, quod multæ impuritates mucidæ in primis viis, glandulis ac humoribus obhæreant, quos transfluit & allabitur chylus; si flavescens, viridescens fuerit cum sapore salso, acri, aut amaricante, exinde eo melius acrimonia humorum & dyscrasia sulphureo-biliosa intelligitur, simul de remedii genere sub adfectu adhibendo constabit, nec non de tacitis matris vel nutricis animi motibus suspicio veniet ex biliosa lactis indole, licet ipsæ feminæ tale confiteri nolint. Deinde non minus ex hoc lactis examine præsciet

medicus,

medicus, quos effectus tale lac infanti sit editurum, & si sub tali statu infans simul ægrotet, de morbi indole, ejusque vera caussa fiet certior v. g. quando acria tormina experiuntur, convulsiones, pavores &c. ex lactis facie viridescente, flavescente, amaricante sapore, bilis a matre communicatæ virulentiam hæc omnia efficere sciet, & adfectum ceu biliosum in matre & infante tractabit. Si atrophici fiunt infantes, si variis exanthematibus vexantur, infestantur stranguria, ischuria, dysuria, tussi sicca, vel mucida pulposa, æstu interno, &c. ex lactis conditione spisso mucida, serosa, acri & salsa vel bilioso-sulphurea patebit adfectus & indoles specialis, & caussa, & methodus tractandi. Atque hoc lactis examen requiritur sæpe a medico, antequam conducantur nutrices, ut videat, an & aptæ sint ad lactandum: ubi medicus ex recensitis qualitatibus lactis & methodi occasionem sumet potissimum inquirendi in reliquum individui statum, nutricis, quæ, licet ipsa celet adfectus v. g. ulcerosos, venereos &c. ex varia tamen lactis crasi ipsa satis poterit vel convinci, vel certe fundatis quæstionibus tentari ita, ut non possit non certa quædam sui status phœnomena profiteri, & si v. g. lac nimis fuerit biliosum, flavescens, amaricans, medicus de animi statu iracundo suspicabitur habito insuper temperamenti & physiognomiæ respectu, vel saltem de dyscrasia humorum biliosa, vel de vitiis hepatis & organorum bilariorum, in dyscrasia lactis mucida spissa de statu sanguinis & lymphæ cachectico ac impuro varias labes organorum secretoriorum ex variis caussis contractas indicante &c.

§. XXXIII.

Restat ex actionum naturalium classe adhuc actus generationis, qui quidem etiam a variis morbis varie adficitur, sed cum hoc nimis sit particulare ratione loci, ætatis, usus & practici in specialem hujus actus, quatenus sub variis adfectibus adficitur, disquisitionem non descendam. Generaliter tamen dicendum hic est, quod quatenus generationis negotium & ad illud spectantes circumstantiæ non a vitiis organorum idiopathicis in utroque sexu, vel a caussis plane alienis externis dependeant, sed quatenus cum præsenti adfectu morboso aliquam habeant connexionem sub hoc titulo omnino considerandum sit, ut etiam exinde morbi indoles varia patescat & explicetur præcipue ægrotis, si illi de hoc negotio speciatim adfecto medicum consulant. Ita in variis morbis nimia observatur salacitas in utroque sexu, præcipue ubi insignis adest humorum acrimonia lymphæque, partes has summe nervosæ sensibilitatis continuo vellicans & stimulans. Unde in viris oritur priapismus & perpetua fere membri erectio ac pruritus venereus, in feminis autem præter varios adfectus hystericos, quibus communiter in viduis hæc nimia salacitas

jungi-

jungitur, mania, furor uterinus, proterva libido. Et hæc omnia obſervantur in adfectibus ſcabioſis, ſcorbuticis, ulceroſis; In adfectibus ſpaſmodicis, præcipue podagricis, nephriticis, & in feminis, in gonorrhœa acri, fluore albo, menſium ataxiis varias humorum dyſcraſias poſt ſe trahentibus cachecticas, chloroticas, *vid. Excell. Dn. D. Hoffm. tract.* **Gründliche Anweiſung wie ein Menſch** *&c. part. VII. II. p. 126. §. 31.* Deinde etiam in ſenibus utriusque ſexus ex conſimili ſuccorum lymphalium & genitalium acrimonia ſæpe ingens obſervatur pruritus *vid. ibid. p. 127. ſeqq.* Hæc ſi medico ab ægroto morbis talibus laborante, aut ita ſenio adfecto recenſentur, tunc is ex hoc nimio ſtimulo cognoſcet morborum junctorum indolem, eosque ex humorum corruptione eo magis proficiſci & eidem inniti. Quare in tali caſu ſubjectis pro leniendo ſtimulo minime frequentem ſuadebit venerem, præcipue ſenibus, quippe quæ, dum corpora habent morbida, & vitiatis ſuccis ſcatentia, adhuc magis debilitaret partes nervoſas, tonum frangeret, eo ipſo ſe- & excretiones magis turbaret, impuritatum copiam augeret, nec hinc ægrotus ab hoc moleſtiſſimo pathemate liberaretur, ſed augeretur potius, quin in majus incommodum conjiceretur. Deinde & conſiderandum eſt, quod ſub tali rerum ſtatu adfectus ſcorbutici, venerei, ſcabioſi, ita omnium optime ad alterum ſexum transferri queant. Quare maritatis talibus morbis laborantibus ſollicite hæc inculcanda ſunt, ſi requiratur conſilium de morbo. Sæpe etiam exinde v. g. feminæ exulcerationes vaginæ, ardores, motus ſaltem ſpaſtico-hyſtericos & alia mala experiri poſſunt. Nec minus feminæ ſub tali ſtatu inficiunt maritos, & dum frequenti congreſſu tota humorum maſſa exagitatur, multa exinde damna in talibus impuris corporibus provenire poſſe, ſuadet ipſa ratio. In talibus caſibus potius remedia humores depurantia adſectui ſpecifice quadrantia adhibeantur. Sæpe etiam in ebullitionibus ſanguinis ſub congeſtionibus Hæmorrhagicis ſtimulus ingens genitalia excitat, in quibus caſibus ſane medici eſt, ægrotis pro conſideratione circumſtantiarum in aurem dicere, ut ab omni congreſſu abſtineant. Quantum enim exinde in Hæmoptyſi, congeſtionibus ad pectus, in Hæmorrhagiis uteri, nimiis menſibus, oriri queat damnum, demonſtratu eſt facillimum. Extra hunc ſtatum autem dictum humorum corruptorum, ſi in perſonis extra conjugium adfectus occurrunt cum generationis negotio præcipue ſtimulo venereo cohærentes, varie inquirendum a medico, anne iidem matrimonio felicius, quam aliis medicamentis curari queant. Ubi vero e contrario partium genitalium adeſt inſenſibilitas & nullus ad venerem ſtimulus citra tamen organorum

læsionem idiopathicam, sub justa ætate, in matrimonii honesti statu, eo magis hæ circumstantiæ indicabunt debilitatem naturæ, nervorum & roboris, id quod facile contingere potest post validos perpessos morbos, sub animi mœroribus & turbis, variis motuum anomaliis junctis. In tali casu medicus facile videbit, quod hæc ad actum generationis impotentia longe aliter tractanda sit, quam si illa ex vitiis genitalium, ex diuturna gonorrhœa, lue venerea, paralytica quasi harum partium laxitate ex frequenti nimio congressu penderet. Quare, si de eo ejus expeteretur consilium, indicandum esset verum fundamentum, & simul quod noxium foret, ante recuperatas penitus a morbo vires, aut ante morbum plane superatum hunc actum celebrare, vel naturam stimulantibus & aphrodisiacis cogere & partibus quamcunque vim inferre, eamdem potius impotentiam temporariam medicamentis morbo vel inhærenti vel proxime prægresso congruis tractabit. Sterilitas in feminis, si circa hanc medicus consulatur, occasionem præbebit in valetudinarium reliquum individuorum statum inquirendi; ubi quo diuturnior sterilitas eo pertinaciorem ac refractariam magis adfectus indolem pervidebit, cujus & caussam potissimum vel in turbis negotii menstrui, quæ arctissimum cum generatione in sexu sequiore nexum habent, vel in partibus reliquis genitalibus uteri, & partim receptioni, partim detentioni seminis virilis dicatis, partim in illis, quæ materiam conceptus suppeditant, ovariis ac tubis fallopianis requiret; unaque prognosis formatu facilis, quod sterilitas non ante potuerit tolli, quam curatis illis proximis adfectibus, qui præterea in remotis partibus varios anomalicos motus regurgitatorios humorum inducunt, & ab omnibus vanis tentaminibus sollicitissime dehortabitur.

§. XXXIV.

Succedunt jam in ordine actus vitales, qui partim de vita testantur, partim eamdem efficiunt & conservant, & ad quos præc. referuntur pulsus ac respiratio. Pulsus primum cordis ac arteriarum, quemadmodum ex mente Illustris Stahlii primario efficitur ab anima, tanquam præside corporis, secundario autem omnino debitum partium supponit mechanismum, solidorum scilicet justam constitutionem humorumque debitam crasin requirit; ac a variis animi motibus, corporisque in solido & fluido vitiis alteratur: Ita, quamdiu idem pulsus ratione temperamenti & reliquarum circumstantiarum ordinatus manet, testatur primo de naturali mentis vigore, deinde de circulo humorum ordinato, & per consequens de indole partium corporis solidarum ac fluidarum intemerata, ut neque ex una parte nimis intendi

tendi pro variis noxis per auctiorem circulum e corpore eliminandis debeant, nec ex altera parte ob varia posita obstacula remitti. Qua de re ex turbato pulsu rectissime judicatur caussæ cujusdam præsentia præternaturalis, quæ naturam vel excitat, ut motibus his auctis tanquam suis consuetis armis pugnet, vel eamdem prosternit & confundit, ut hos motus nimis languide confuseque administret, vel saltem non ordinate administrare possit. Proinde ex vario gradu alterati pulsus de diversa levitate aut gravitate læsionis in morbis vel præsentis vel instantis valebit judicium. Cum autem in febribus maxime hic pulsus intendatur, idque necessario, dum caussa ejusmodi adest, quæ optime motibus vitalibus intensis subigitur & abigitur: patet exinde, quod maxime sub his adfectibus exactissime in pulsus conditionem inquirere habeat necesse medicus, siquidem exinde gradum morbi ac febris indolem ex consideratione pulsus gradus, vehementiæ, constantiæ &c. omnium optime dijudicabit. Nec minus, cum uti dictum sub febre, & talibus caussis, quæ motus febriles requirunt, maxime alteretur, opus est, ut & sub reliquis adfectibus morbosis inquiratur in pulsus conditionem, quo constet, an aliquid & quantum motus febrilis concurrat, & sic illi haud sinistre, sed febrili modo tractentur. A pulsu autem pendet circulus sanguinis & humorum omnium, ab ejus varia celeritate aut tarditate varius calor sanguinis ac solidarum partium, quare ex pulsu hauriendum, an ægrotus calorem habeat præternaturalem, speciatim quantus sit ejus gradus.

§. XXXV.

Pulsus interim plane naturalis consideratur duplici modo, ratione ordinis & vigoris. In ordine potissimum attenditur tempus, quod pulsus sibi requirunt & habent vel singuli, vel quem ordinem in tempore, quam constantiam & identitatem, habeant plures pulsus in relatione ad se invicem & in connexione sua. In priori casu considerantur itaque pulsus singuli in se spectati, ubi attenditur, an expansio arteriæ præceps & brevissimo tempore fiat, quodsi sit, pulsus dicitur celer, ubi autem hæc expansio arteriæ non tam simultanea est, sed magis successiva & tarda, tardus exinde dicitur pulsus. Ex priori pulsu hauritur celer, ex posteriori tardus humorum progressus in impetu. Et sic ratione rythmi pariter ac vigoris pulsus in statu naturali varia observantur, quæ explicitum dare hujus loci non est. Quando jam in statu præternaturali alteratur pulsus, necesse est, ut alteretur vel ratione ordinis in tempore, vel ratione vigoris. Hinc secundum has duas differentias instituendum erit examen. Circa tempus & ordinem in pulsu observandum, an pulsus sit celer, aut tardus, an vero quod

ut plurimum fit, celer & frequens ſimul, aut tardus, ac rarus. Ubi notiſſimum eſt, pulſum celerem & frequentem pathognomonicum febrium eſſe ſignum, atque ex diverſitate gradus celeritatis ac frequentiæ varium gradum febris petendum. Quæ tamen neque huc pertinent, hoc tantum iniiciendum, quod pulſus celer & frequens non idem ſit, quemadmodum *Illuſt. Dn. D. Stahl.* hoc ſolidiſſime in *programm. 1. de pulſuum celer. & freq. diff.* demonſtravit; cum inſuper pulſus in moribundis adhuc celer eſſe poſſit non idem frequens. Ratione rythmi examinandum, an pulſus ſive celer, ſive frequens ſingulis vicibus eandem habeat temporis menſuram, ita ut eodem temporis ſpatio ſe excipiant; id quod optime quis expiſcari poteſt per horologium, cui additæ ſunt ſecundæ. Secundum hunc eumdem rythmum videndum, an ſit pulſus æqualis, vel inæqualis, an caprizans, intermittens, formicatus, undoſus, vermicularis, ſerpentinus, tremebundus, palpitatorius, myurus. Ex hoc ordine itaque pulſus ejusque rythmo quemadmodum cognoſcitur varia promtitudo, aut naturæ in motibus ſegnities, hinc exinde de cauſſæ latitantis conditione præcipue febrilis optime judicatur & per conſequens de toto morbi ſucceſſu prognoſis poteſt formari, qui potiſſimum his motibus ſuperari debet: ita etiam neceſſe eſt, ut attendatur ad vigorem horum motuum, qualem ſinguli pulſus ictus in ſe conſiderati habeant. Ex conjuncta enim vigoris conſideratione eo certius ſimul patebunt naturæ vires & fortitudo, eæque vel nimium intenſæ, vel viciſſim deficientes, diverſa præterea cauſſæ morbificæ indoles, ob quam ordinarii pulſus vigor vel reduplicatur, vel active aut paſſive remittitur. Propterea conſiderandum, an pulſus ſit fortis vel debilis, magnus aut parvus, plenus aut vacuus, durus aut mollis, qui omnis pulſus quid ſpecifice portendant, cuilibet docto medico conſtabit. *vid. Dn. Præſ. in Semiolog. med. p. 370. ſeqq.* ubi ſimul plures citantur auctores, qui de pulſu ſcripſerunt. Ubi etiam præcipue *Bohnius de officio medici duplici* legi meretur. Hæc pulſuum exploratio, uti dictum, maxime neceſſaria eſt, præcipue in febribus; proinde medico incumbit ſollicitiſſime in ejus veram indolem, præ omnibus in pulſus conſtantiam vel inconſtantiam ratione ordinis & vigoris inquirere; quo pateat, utrum naturæ motus pro excernenda noxia quadam materia inſtituti ſemper iidem maneant; an vero immutentur, in quantum, quando, quamdiu & ſub quibus circumſtantiis adfectus. Quæ omnia medico non tantum in cognoſcenda morbi indole ad formandam prognoſin, ſed & in methodo curandi multum ſuppeditabunt utilitatis. In pulſus exploratione in genere neceſſarium eſt, ut antea conſtet individui temperamentum, ne decipiatur quiſpiam & v. g. ubi in

cho-

cholericis jam naturaliter adeſt pulſus frequens & moderate celer, juncto itidem vigore, ſub accidentibus levioribus morbis ſtatim ex pulſu præſentia febris hariolet ur, ſi ille & ultra gradum in tantum exacerbetur ordinarium; & viciſſim in phlegmaticis ex pulſu minori ſecundum ordinem & vigorem ſub ipſis febribus, quam in cholericis eſt in ſtatu ſano, morbi indolem non dignoſcat. Deinde probe eſt examinandum, utrum ſub certis adfectibus pulſus ſponte, an vero per cauſſas occaſionales, intendatur. Unde etiam, ne medicus ipſe anſam præbeat confuſionis, ad patientem accedens non illico pulſum tanget, ſed tantiſper exſpectabit præſertim ſub hiemali tempeſtate, donec ipſius manus calefiant, & æger præſentiam ipſius æquabiliori animo toleret. Utrumque enim fallere poteſt pulſus examen, ſi æger vel ex recenti medici in conclave acceſſu in animo fuerit turbatus, vel carpus a digitis frigidioribus conſtringatur. Multum quoque refert, ut pulſus rite tangatur, ubi obſervandus locus ejus, qui conſuetus eſt in carpo, ubi ramus inſignis jacet arteriæ radieæ & quidem in parte carpi interna: ſæpe interim contingit, ut arteria dicta circa hæc loca vel nimis profunde jaceat, vel nimis ſit exilis, & ex aliis cauſſis ita conſtituta, ut vix pulſus percipi queat, vel plane alium tractum ſervet. *vid. Bohnius de officio medici p. 177. ſeqq.* ubi & variæ memoratu dignæ obſervationes ex *Tulpio, Pechlino* & *Boneto* allegatæ reperiuntur. Quare, ſi in tali caſu in carpo pulſus deficit, in aliis locis congruis quærendus erit, neque in periculoſis febribus ſtatim pro mortuo declarandus eſt æger, ſi in carpo nullus percipiatur pulſus; propterea ob auctoribus loca varia ſuadentur inter pollicen & indicem, in temporibus, cordis regione &c. Modum denique tangendi pulſum quod attinet, illud fit digitorum apicibus, ubi tamen non uno, ſed pluribus digitis tangendus, ad minimum, uti ab auctoribus de pulſu ſcriptoribus jubetur, tribus, præcipue quando inæqualitas vel æqualitas extenſionis arteriæ inquirenda, quo arteriæ expanſio ſecundum notabilem tractum ſentiatur, & videatur, an per totum hunc tractum ſingulis ictibus æqualiter diſtendatur ſub ſingulis digitis. Hoc etiam erit attendendum, ne uno digito fortius, quam alio comprimatur arteria, nec in genere nimis mollis & nimis durus ſit attactus; manus ægri præterea tangenda in debito brachii ſitu, *vid. Bohn.* eod. loco, ab omni motu libera eſſe debet, in ſitu neque penitus ſupino, nec penitus prono. Politicas quaſdam regulas, quæ obſervandæ ſunt in exploratione pulſuum, collectæ proſtant in illis auctoribus, quos paſſim allegatos *vide in Lexico Reali medico Dn. D. Præſidis.*

§. XXXVI.

Converto me ad brevem conſiderationem Reſpirationis, utpote alterius vitalis actus. Hæc, ut notum, ſequitur partim animi conditionem, partim circulum ſanguinis ac pulſum, nec minus variam ipſius organi reſpirationis & partium ad eamdem facientium, & cum hoc organo connexarum, conſtitutionem. Hinc ſub variis adfectibus, quibus vitia reſpirationis junguntur pro circumſtantiis vel animi junctæ turbæ pulſum & reſpirationem immutantes exinde colliguntur, vel circuli ſanguinis in genere ataxiæ, & in ſpecie per pulmones ejus impedimenta, ſive ex remotis cauſſis, ſive ex ipſius organi vitio dependentia, vel ſaltim profecta ex labe viſcerum cum reſpirationis actus negotio connexorum, qualia ſunt diaphragma, lien, hepar, ventriculus, & reliquæ infimi ventris partes. Nec minus e gravitate reſpirationis læſionis harum circumſtantiarum gravitas concluditur. Quemadmodum autem reſpiratio in vitiis pulmonum idiopathicis maxime adficitur; ita & ſub adfectibus talibus pectoris potiſſimum in ejus conditionem inquirendum, ut conſtet, quam grave ſit impedimentum poſitum in pulmonibus libero aëris ingreſſui. Hinc in talibus pectoris morbis in hæmoptyſi, in congeſtionibus ad pectus, in tuſſi &c. quærendum, wie die Patienten Athem hohlen, ob ſie ſchweren und kurtzen Athem haben, ob ſie in der Bruſt eine ſtarcke Reſiſtenz ſpühren, ob ſie den Athem nicht lange an ſich halten können? ꝛc. Ex quibus omnibus varia gravitas & indoles adfectus pulmonum præſumetur. Cum vero reſpiratio & ſæpe lædatur ſine pectoris vitio ex labe earum partium, quæ conectuntur cum diaphragmate; ita probe examinandum erit, quatenus vitium pectoris complicatum ſit, necne, & an potius hepatis infarctus, aut plane ſcirrhus lienis, ventriculi ſaburræ, ſpaſmi adominis &c. in cauſſa ſint. Præterea inquirendum, an reſpirationis læſiones junctæ ſint cum tuſſi, qualis illa ſit, an ſub ea quidquam excernatur, quid excernatur, examinanda materia per tuſſim rejecta, an tantum ſit mucida, an ſanioſa, ſanguinea, apoſtematica, fœtida, tetri coloris, an in aquam dejecta fundum petat, aut eidem ſupernatet, quæ omnia in adfectibus idiopathicis non tantum ad meliorem diagnoſin & prognoſin faciunt, præcipue circa phthiſeos judicatæ præſentiam, ſed & ad diſtinctionem a reliquis vitiis reſpirationis ſymptomaticis. In febribus potiſſimum acutis non minus ad reſpirationem attendendum, ex cujus varia læſione de varia febris indole, de gradu febrilis æſtus, circulum ſanguinis & per pulmones varie impellentis, certior fiet medicus. In exanthematicis in ſpecie ubi ſumma jungitur præcordiorum anguſtia, groſſe Hertzens-Angſt,

cum

eum tamen pulsus non adeo sit exacerbatus, nec in statu sano adfuit vitium pulmonum aut viscerum, de latitantibus exanthematibus maxime erit probabilis suspicio, spasticam internarum partium agitationem post se trahentibus. Potissimum & hic secundum varias constitutas classes examinanda respiratio, an ratione temporis celeris aut frequens sit, rara, tarda, inæqualis, exspirationis ratione calida aut frigida, sonora & sibila; ubi & in febribus dictis adhuc etiam prospiciendum, ne pectus ab humoribus nimium opprimatur, quod præcavetur securis revulsionibus per frictiones pedum, aut rubefacientia, nec non per vesicatoria, si constet exanthematum, quæ erumpere recusant, caussam post se trahere pectoris angustiam.

§. XXXVII.

Cum ab hisce vitalibus motibus pendeant Se- & Excretiones & pro illorum gradu varie turbentur & excitentur, in has quoque sub morbis erit inquirendum, quomodo se habeant ex reliquis primariæ excretiones universales, Sudoris, Urinæ & Alvi. In statu plane naturali omnibus momentis plus minus secundum habitum corporis strictum aut laxum succedit transpiratio, quæ a sudore tantum differt, ut sit vapor nondum in guttas collectus, eaque necessario accidit, cum sub perpetua sanguinis transpressione semper aliqua portio in serum resolvatur, & hoc sub calore fomentante sanguinique inhærente in vaporem extenuetur, ac ita excernatur. In statu præternaturali, ubi sub variis morbis augetur circulus sanguinis, non potest fieri, quin & augeatur resolutio in serum, quare opus est, ut & copiosius excernatur e corpore, quod si non fiat, accedunt ex remanente sero gravia corpori damna; siquidem serum resolutum nunquam cum sanguine redit in gratiam. Proinde ex his constat, in omnibus morbis, ubi adest exacerbatio motuum vitalium, si secundum proportionem resolutionis sanguinis proportionate succedat & excretio ejusdem seri, bonam morbi indolem judicari posse ratione eventus; Secus omnia si fuerint, contraria prognosis. Nec minus successus auctioris transpirationis sub sudore testatur de vividis naturæ motibus a centro ad peripheriam, & quod neque spasmus cutis adsit, nec sub tali statu retrocessio humorum ad interiora metuenda cum malis consequentiis. In omnibus itaque affectibus, quibus jungitur pulsus ac motuum exacerbatio, examinandum erit, ob der Patient Schweiß habe. Sudores si adfuerint, insimul tamen placidi, prægressa symptomata in tantum levantes, tolerabilis exinde indicabitur status, &, ceteris paribus, hi sudores omnimodo pro bono habendi sunt signo. Unde & ægrotis inculcetur, eosdem sudores sollicite curandos, nullo modo in congruo turbandos,

dos, nec vicissim anxio impellendos & augendos regimine. Ante omnia autem in singulis febribus, aut febrilibus commotionibus ad hanc periphericam excretionem erit respiciendum, & inquirendum, ob der Patient Schweiß habe, wenn derselbe komme, ob er starck oder schwach sey &c. Si sudores justo tempore, debito ordine, cum qualicunque euphoria, succedunt, exinde febris indolem ordinatam magis præsumere licet; qui sudores etiam, si aliquantum deficiant, eo securius lenissimis diapnoicis sublevantur. Inquirendum & in reliquas circumstantias, utrum calidus sit, an frigidus sudor, an in paroxysmo, vel post paroxysmum, remittente æstu, veniat, & an sudor positivus adsit, vel tantum modor cutis, an inde sudor perpetuus maneat talis, an vero sponte diminuatur, quomodo diminuatur, an post eum tamen corpus maneat in statu perspirabili, aut an peripheria plane siccescat. Examinandus deinde sudor ratione quantitatis, an moderate, an excessive fluat, prouti fit in purpura, ubi tamen videndum, utrum insignis inde accedat virium resolutio, quæ si fit, sudoris indoles intelligitur minus congrua; Insuper, naturæ motus nimis ad peripheriam tendere, & nimiam esse laxitatem cutis; unde hic sollicitissime cavebit medicus ab omnibus vel levissimis irritationibus per externum calorem aut medicamenta; ex altera autem parte a positiva illorum sudorum turbatione. Inquirendum erit porro in qualitates sudoris, an ille sit acris, cum pruritu cutis junctus, an graviter fœtat, (id quod cum purpura hodie fere omnibus complicata morbis observetur, probe respiciendum,) quis sit sudoris color, quo tingit linteamina, ex quibus omnibus circumstantiis eo melius de materia in sero resoluto latitante ejusque indole ferri potest judicium. Ubi autem nullus sudor adest, is tamen proficuus foret v. g. in congestionibus hæmorrhagicis, rhevmatismis, spasmis & aliis motuum exacerbationibus, quibus multum seri & augetur & idem illud intra corpus tamen retinetur, non quidem positive est cogendus, remotis non antea obstaculis; ægris interim potius injungatur, ut quieti in temperato se contineant regimine caloris, quo saltem auctior transpiratio, in quovis motuum morbo necessaria, per poros cutis apertiores succedere possit, & sic felicius discutiantur supra dicti adfectus; Pariter ubi sudor deficit in morbis, quibus necessario adesse debet, veluti in febribus, ex inde parum boni sperare licebit; nulla enim febris sine sudore feliciter cedere potest. Differentia tamen febrium habenda, non enim omnes febres æquales habent commotiones humorum; hinc nec æquales in omnibus sudores necessarii. Sic in malignis, quibus pulsus sæpe maxime est moderatus, sufficiet tantum mador & diapnoë, sed ideo illa semper continua

&

& non interrupta esse debet. In his proinde febribus cum non conveniat fortis humorum motus, hinc nec fortis sudor adesse possit & debeat, nec ille perverso artificio sudorifero in perniciem ægroti impellendus per humores commoventia, quibus & materiæ malignæ impediretur exclusio, & ea ipsa potius diutius & intimius sanguini intricaretur. Interea sciendum, quod in reliquis febribus, nec ab initio, nec in paroxysmo fluat sudor, unde nec ex hoc defectu tali tempore quicquam periculosi exinde præsumendum, multo minus sudor coacte propellendus. Ejusmodi enim sudores, qui & sponte incongruo tempore proveniunt, symptomatici sunt, inutiles, noxii, multas irregularitates involventes. Quando autem justo tempore sub statu febris deficit sudor, factis jam notabilibus sanguinis resolutionibus, & post paroxysmum æstus, inquirendum, an forte caussa hæreat in incongruo ægrotantis regimine, an ab haustu frigido, refrigeratione corporis, jectigationibus nimiis, aut adstantium multis circa ægroti lectum motibus, vel dependeat ab obstaculis internis nimia anxietate, cura & mœrore animi; quo his omnibus debitum auxilium parari queat.

§. XXXIIX.

Urinæ conditio in morbis varie itidem consideranda; ubi quidem mihi nihil est rei cum fatuis ac superstitiosis nugis, quasi ex urina sexus, ætas, omnes morbi circumstantiæ, aut nescio quid perspici possent, sine ulteriori ullo ægroti status examine: sed urinæ inspectionem in tantum admitto, quatenus certis ac sufficientibus fundamentis innititur. In genere circa hæc notandum, quod ubi notabiles eveniunt sudoris alterationes a commotionibus sanguinis, ibi tantum non semper urina alteretur; quare & in iisdem morbis, ubi sudoris respectus habendus, habenda & urinæ ratio. Et cum hujus justa constitutio dependeat a debito sanguinis statu ac motu, partim ab integritate renum: ita urina alterata vel sanguinis in crasi aut motu, vel renum subinde ac organorum urinariorum statum præternaturalem indicat. De reliquo urina penitus naturaliter constituta ratione coloris, consistentiæ ac diaphaneitatis monstrat, nihil impuritatum insolitarum humoribus inesse, & præcipue color ejus ordinarius absentiam æstus nuntiat, diaphaneitas ac consistentia naturalis, naturalem designat renum tonum; secus omnia si fuerint, contrarium exinde haurietur. Proinde circa urinam examinandum erit, quis sit ejus in morbis color, an naturali similis, an valde flavus aut rubicundus, ut pateat exinde præsentia æstus ejusque gradus; ratione consistentiæ an turbida, vel clara, quale ponat sedimentum, utrum statim post emissionem, an vero post aliquam moram turbetur, & sedimen-

tum ponat, post sui refrigerationem. Et cum in febribus potissimum ob turbatum circulum humorum urina alteretur; in his ideo quam maxime ad varias ejusdem mutationes respiciendum erit, ex quibus gradus, indoles & eventus cum ceteris conspirantibus phœnomenis, desumi potest. Ubi medicus semper tenere debet, quod nulla febris feliciter cedat sine omni mutatione urinæ.

§. XXXIX.

Potissimum vero examen sudoris ac urinæ instituendum erit circa dies ita dictos indicatorios ac criticos in acutis, qui sunt 4tus, 7mus, 9nus, 14tus, 18vus, 21mus &c. an circa hos, ubi reliquo tempore nihil obtigit, notabilis accedat harum excretionum alteratio; ubi dies indicatorii maxime respiciendi, utrum illis v. g. percipiatur maxime pruritus sub cute, alvi major adstrictio, coctionis signa in urina, quæ omnia, ceteris paribus, sperare juvant excretionem largiorem sudoris, aut cum eo exclusionem exanthematum, præcipue purpuræ. Quando autem horum nihil contingit primo die indicatorio, nec speranda crisis talis die critico primo, unde exspectandus erit alter dies indicatorius, qui si nihil habeat signorum dictorum, neque altero critico die sperari poterit ejusmodi crisis, & sic ulterius; unde & si de reliquo nec alia adpareat via ad salutarem morbi solutionem, tunc certe ejus periculosus eventus summo jure timendus erit. Quando autem dies indicatorius ex urina & aliis circumstantiis aliquam notabilem morbi solutionem præsagit, medici erit, summopere invigilare, ne ullo modo illa vel prava diæta, vel incongrua medicatione interturbetur.

§. XL.

Excretionem per alvum denique quod attinet, ad illam in omnibus fere morbis attendere quam maxime convenit; siquidem & ratione necessitatis, utilitatis ac successus fere universalis est, æque ac excretiones per peripheriam & diuresin. Hæc quippe alvina excretio cum in statu naturali nunquam deficere debeat, & si deficit, eo ipso præternaturale quid involvit: sic pariter in morbis, licet in tantum tolerari possint ejus alterationes ratione successus, in totum tamen minime. Primum itaque, an alvus nimis sit sicca, quin penitus clausa, inquirendum. Quod si ita sit, quoniam intestina fæcibus aut impuritatibus bilioso-mucidis nimium replentur, flatus incarcerantur ex his saburris generati, abdomen intumescit, præcordiorum angustiæ inducuntur, humores magis restringuntur versus superiora, ipsi motus vitales pulsus ac respiratio vitiantur, nec non transpirationis liber impeditur successus: patet exinde, in omnibus morbis, ubi recensi-

censita incommoda multum præjudicant, quod tamen utplurimum, positivam alvi adstrictionem pessimæ notæ existere. Tanto magis si ex parte jam adfuerint, siquidem exinde eximie augerentur. Quare in spasmis, congestionibus, malo hypochondriaco-hysterico &c. opus est, ut alvus in tempore ante aliorum remediorum præscriptionem convenienter aperiatur. Propter supra dictas circumstantias in ipsis febribus nocentissima est plenaria alvi adstrictio. Et quamvis exanthematicæ præsertim variolosæ aliquam pati videantur exceptionem, quia alvi fluxus præc. sub eruptionis tempore, deleterios effectus retentionis vel retrocessionis exanthematum inducere observantur, totalis tamen adstrictio itidem tolerari nequit, nisi quidem sub ipsum eruptionis fuerit tempus, *vid. Excell. Dn. Hoffmanni Med. rat. system. tom IV. Sect. I. Cap. VII. pag. 156. §. IIX. sqq.* & nisi de reliquo nulla molesta pathemata sentiantur in abdomine & reliqua bene succedant. *Vid. Clariss. Dn. D. Junck. Consp. med. Tab. LXXV. Num. 7.* subducenda autem erit alvus tantum lenientibus, clysmaticis demulcentibus, omni carentibus stimulo, & cavendum ab omnibus fæculentis, fermentescentibus, quæ nimium turbare alvum possunt. Alvi e contrario nimia lubricitas si in morbis adest, inquirendum, an illa sit sine vel cum torminibus, an forte ex refrigeratione, turbata transpiratione eveniat, an vero adsit humorum serosorum ad intestina congestio sub diarrhœis certis periodicis. Ex quibus circumstantiis videbit medicus, utrum consultum sit alvum positive retinere, an vero diarrhœam tantum tolerare, vel eam saltem sucessive moderari, quibus adminiculis, quid consilii insuper ægroto dandum. In febribus quando diarrhœæ adsunt, examinetur, an sint symptomaticæ, an idiopathicæ, priores an ab incondito victu, potu fæculento, multis dulcibus, vel medicamine catarctico sub morbi initium sumto evenerint, unde ad eas tollendas sufficiet nihil nisi sublatis diætæ vitiis, posteriores Idiopathicæ a naturæ activis congestionibus ortæ, nisi penitus excedant, & sub periculosis variolosis, morbillosis febribus, temere nunquam sunt sistendæ. Tales sæpe accidunt febribus petechialibus, petechizantibus cum euphoria, sine ullo damno, quid? quod interdum critice solvantur petechiales per diarrhœas, ita, ut idem fiat, quod post alias crises, nempe totus morbi frangatur vigor. Quemadmodum etiam in his positiva alvi adstrictio nocentissima est. *vid. Celeb. Dn. Stahl. adnotat. ad diss. de febre petech. num. 6. Excell. Dn. Hoffmann. libr. supra cit. p. 243. vid. Dn. D. Præs prax. univers. p. 832. §. IV p. 836.* In tali casu summa adhibenda erit prudentia, ne absolute turbetur, nedum supprimatur, siquidem exinde damna orirentur, quæ ab aliis turbatis crisibus,

 spe-

ſpeciatim in abdomine ſtaſes inflammatoriæ, ſphacelationes, ſaltem lethales ſuffocationes apoplecticæ &c. Omnia, quæ huc usque dicta ſunt de actionum variis mutationibus a naturali, earumque læſionibus diverſimode ſub morbis examinandis uti faciunt eo, quo medicus, indole eorum penitius perſpecta, varias inde pro tutiore & circumſpectiore curatione cautelas haurire queat; ita juvant maxime inter reliqua ad certiorem prognoſin de morborum magnitudine, gradu, periculo & eventu formandam. Circa quam adhuc pauciſſimis notare decet, quod ſæpe ægroti examinent medicos, ejus ſermones & enunciata, vultum, geſtus, vel immediate vel per alios. Cautus hic ſit medicus, ne apud ægrotum ſubitaneam animi perturbationem excitet, morbum exitialem pronuntiando. Incautum ejusmodi enunciatum 1) auget aliquando ſymptomata & exacerbat paroxyſmos, mortemque ipſam accelerat 2) ægros reddit ſubinde deſperatos, ut ſui nullam amplius curam habere velint 3) lædit ſæpe medici exiſtimationem, quando prognoſis, uti aliquando contingit, fuit falſa. Proſtant exempla, quod medici noluerint amplius porrigere medicamenta, nec adſiſtere conſiliis ægrotantibus, qui, advocatis aliis medicis, ſanati ſunt. Medici denique chriſtiani eſt, ut circumſtantiis hoc urgentibus ægroto mortem inſtantem notam faciat, vel ipſemet, vel per alios, præſertim verbi divini miniſtros, ut animæ immortalis curam eo diligentius habeant. Plures obſervationes & cautelas circa prognoſin *vid. in Dn. Præſ. Fundam. Semiol. Bohn. de off. med. dupl. Cap. VIII. p. 169.* Plura circa hæc non addo, ſed, cum ad felicem curam præ omnibus requiratur cauſſarum cognitio, quomodo in illas inquirendum ſit generaliter, quantum potero, pauciſſimis agam

CAPUT III.

De Examine circa morborum cauſſas.

§. I.

INter cauſſas, quæ magnum habent jus producendi morbos illæ ponuntur, quæ homini ejusque naturæ conſtanter inhærent & naturalium rerum nomine inſigniuntur. Quæ res cum ad naturam pertineant hominis, non quidem per ſe abſolute ſanitatem turbant, ſiquidem alias nullus a morbis foret liber, cum tamen mille videas ſub harum rerum præſentia optima ſanitate fruentes: ſed tunc demum morborum evadunt cauſſæ, ſi variæ circumſtantiæ cum illis junctæ intricatæ fiunt, & hæ morbis inferendis quadrant, ut ita eo magis apta reddantur ſubjecta ad certos ſubeundos

mor-

morbos. Inter has res naturales primum locum tenet ætas, quæ diversa diversos morbos facilius admittit, ita, ut non una ætas æque facile hunc morbum incurrat, quem alia. Et hoc non quidem ideo, quasi certus annorum numerus absolutas turbas sanitati daret, sed quia sub varia ætate non tantum varius occurrit fluidorum ac solidorum status, sed & varia animi constitutio, varia diæta ac regimen, & rerum non naturalium admissio, motus varii autocratici naturæ &c. Consideremus quæso primo tenerrimam infantiam, hæc per se mille morbis exposita, corpus est tenerrimum, tonus mollissimus, humores maxime mucidi & aquositate superabundantes; & quid? nonne hæc omnia faciliorem recipiunt injuriam a causſis rudibus aëris, inconditi victus &c. præ alia ætate. Statim post partum in intestinis obhæret acre mœconium, quod sæpe per se gravissima tormina & pathemata infert, nisi tempestive removeatur, tanto magis, antequam lac ad coagulationem pronum accedat. Progrediente ætate ulterius variis incommodis a lactatione exponuntur, anno elapso sub dentium accremento variis infestantur symptomatibus æstus, dolorum dirissimorum, convulsionum, exinde pariter diarrhœarum, inflammationumque intestinorum, posthæc ablactatio ipsis varia parit incommoda, dum adsuescere debent cibis solidioribus. Adeoque, si infans ægrotet, quantum non interest, ut respiciatur ad ætatem, etsi mox post partum incidant pathemata, habenda sane erit mœconii ratio, ulterius lactationis, sic ætas suspicionem præbebit dentium subesse caussam, si constet, infantem mox annum explevisse, ubi & a talibus caussis ætati congruis eorum pathemata omnia deducenda erunt, siquidem a congestionibus humorum activis, & aliis ætatibus convenientibus, existunt plane liberi. Absolutis infantiæ annis sub pueritiam, ubi sub priore ætate humores a multis ejulatibus, dentitionis doloribus &c. ad partes capitis maxime laxas congesti fuerunt, per consuetudinem horum humorum versus caput congestio sub pueritia ulterius durat, accedentibus adhuc peculiaribus circumstantiis, ubi multum cadunt in terram, æstui solis magis exponuntur, multum cursitando sanguinem exagitant, multum occasionis ploratuum offertur sub verberibus, alapis, ab exercitio memoriæ, quæ omnia consuetudinem congestoriam ad caput confirmant, ex qua oriuntur molimina ad narium hæmorrhagias, quæ vel impedite succedentes, vel emanentes, vel suppressæ, perdurantibus interim illis circumstantiis, rhevmatismis circa caput, doloribus, stuporibus, læsionibus memoriæ, inflationibus faciei, ophtalmiis, otalgiis, dentium doloribus &c. ansam præbent, vel ubi ex diversitate temperamenti loco Hæmorrhagiæ na-

 rium

rium magis Coryza infeſtat, ſi hæc irregulariter ſuccedat, varii adfectus capitis catarrhales oriuntur. Unde in omnibus his circumſtantiis medici eſt inquirere in ætatem, quæ ſi ſit ad 6-7-8. & ulterius annos, eo certior erit, dependere adfectus a ſolemni huic ætati ad caput congeſtione, narium reſpiciente Hæmorrhagiam, in cuius circumſtantias proinde ulterius inquiret. Tranſacto ſecundo ſeptenario in feminis cum pubertate inchoant menſes, qui rite ſuccedentes omnia prægreſſa ſuperioris ætatis incommoda levant, interim tamen vix ſine ullis moleſtiis primum erumpunt, & plane impedite ſuccedentes aut emanentes infinita cauſſantur pathemata motus ad menſes ſpectantes, & etiam in alia loca devagantes, quorum omnium cauſſam medicus facili deteget, ſi ex ætatis exploratione compertum habeat, menſium inſtare terminum, & quomodo illi habeant. In virili ſexu autem motus congeſtorii varias etiam ob cauſſas occaſionales in adoleſcentia deſultant a capite in pectus, unde anguſtia reſpirationis, tuſſis ſicca vel humida, molimina Hymoptyica, quin ipſa Hæmoptyſis, varii arthritici motus in ſcapulis aut reliquis artibus ſuperioribus &c. ſub finem adoleſcentiæ circa annum 21. ad 25, eo magis ſub ſedentaria vita, neglectu motus corporis, diſpoſitione maxime ad congeſtiones hæmorrhagicas ex ſuperioribus ætatibus adſcita, motus ſanguinis activi vigere incipiunt in abdomine hypochondriaci, qui, ſi peculiaris diſpoſitionis hæreditariæ, variæque medicationis accedat ratio, haud raro in fluxum hæmorrhoidalem terminantur; is vero, quia nimis maturus venit, nec ideo ordinatus & conſtans manet, certe hinc eo gravius pathemata hypochondriaco-ſpaſtica augentur. In juventute ipſa ab anno 25. ad 35. ſub concurrentibus occaſionalibus cauſſis ſuccuſſationum corporis, exercitii venerei &c. congeſtiones verſus renes, dolores lumbares, molimina ad hæmorrhoides externas, quibus tamen utplurimum non ſuccedentibus, varia incommoda nephritica, mictus cruenti, calculi renalis rudimenta, ſtranguria, dyſuria, Iſchuria &c. in virili ætate ab anno 35-42. & ulterius motus hæmorrhoidales auctiores vel externi, ſi præcipue conſuetudo eorum ex proxime prægreſſa juventute huc tranſcendat, vel potiſſimum interni, ob tunc magis vigentem generationis actum, qui majorem ſanguinis in hæc loca decubitum efficit. Quantum ex minus rite ſuccedente fluxu hæmorrhoidum præcipue internarum oriatur calamitatis, abunde notum, & ſolidisſime evictum ab *Illuſtr. Stahl. Diſſert. de motu ſangv. Hæmorrh.* & *Dn. D. Præſ. in Diſſert. de Hæmorrhoidibus ſuppreſſis, de hæmorrh. anomal. & inſol. viis*, & nihil eſt communius, quam vt oriantur dirisſimæ colicæ, obſtructiones viſcerum ſcirrhoſæ, hecticæ, aſcites, vel ſaltem tumores particulares, defædatione cutis icterodeæ,

deæ, ulcera varia ſordida, reſtrictiones humorum verſus caput, unde Cephalalgiæ, hemicraniæ, ophtalmiæ, paralyſes variæ ſpuriæ, in pectore tusſis ſicca, aſthma convulſivum &c. in inferioribus podagra, gonagra, contracturæ &c. maxime ab externis complicatis hæmorrh. motibus, qui deinde etiam ſecundum obſervationes *Excell. Stahl. & Dn. D. Præſ.* in ſenili ætate maxime pergunt cum ſuis conſequentiis & quorum omnium reſpectus manet ſub conſiſtente ætate, dum ceteris paribus hic hæmorrhoidalis fluxus maxime adſuetus continuatur, aut in ataxias coniectus eo notabiliora damna inducit. In feminis circa annum 49. ceſſat menſium fluxus & cum eo ad concipiendum facultas. Ceſſatio menſium varia inducit pathemata hyſterica, vel motus hæmorrh. loco menſium internos & externos *vid. Dn. D. Præſ. diſſ. de Hæm. fem.* ſub declinatione annorum circa annum 56. 63. & ulterius, quia tonus debilitatur magis cum activitate naturæ, omnium facillime in viris naturalium hæmorrhagiarum defectus oriuntur, & obſervatur motuum palindrome verſus pectus & caput. De his omnibus prolixius diſſererit & pathologice *Celeb. Stahl. in diſſ. de morborum ætatum fundam.* Ex omnibus interim hactenus dictis abunde conſtat, quod in variis ætatibus, in variis locis, ob varias cauſſas natura evacuationes humorum inſtituere geſtiat, pro facilitando eorum progreſſu, has autem diverſimode impediri, unde varii heterocliti adfectus congeſtionum, ſtagnationum, ſpaſmorum &c. quin ipſorum humorum dyſcraſiæ enaſcuntur. Quapropter multum ſane refert, ut medicus in ætatem ægroti inquirat, atque exinde hauriat, ex qua naturali cauſſa adfectus proveniat, an & quos ille ſupponat motus naturæ hæmorrhagicos aut excretorios illi ætati ſolemnes, an vero idem talem cauſſam ſupponere nequeat, cum ætati incongruus ſit; id quod & in prognoſi, & in methodo curandi haud minimum promittit utilitatis. e. g. poſt gravia tormina ventris excernit individuum quoddam notabilem ſanguinis copiam ſub depoſitione alvi, quale & fieri ſolet ſub fluxu hæmorrhoidum. Hic maxime convenit reſpicere ætatem, an & talis ſit, in qua fiunt congeſtiones verſus abdomen, ut proinde hæc excretio pro ſalutari autocratica naturæ haberi queat, an vero nec ætas, nec reliquæ circumſtantiæ conſpirent. Quodſi enim tale profluvium contingeret puero annorum 12 - 14. longe alia cauſſa quam hæmorrhagica congeſtio incuſanda foret. Sic ſi puer laboraret inſignibus lumborum doloribus, vel plane mictu cruento, hæc pro congeſtionibus ſanguinis activis hæmorrhoidalibus haberi non poſſent, quia non cadunt in hanc ætatem, adeoque longe alius cauſſalis reſpectus habendus. Sic puer 7 aut 8 annorum

hæmo-

hæmoptysi laboraret, illa non indicaret caussam congestionis activæ idiopathicæ ad pectus, secus si foret ætas congrua, ubi simul ad internam congestionis caussam activam sub methodo dirigeretur animus. In doloribus capitis adultorum & ejus variis adfectibus nemo subsumet, quod sint motus ad hæmorrhagiam narium spectantes, eamque subsecuturam, multo minus consilium formabit ad reducendum hunc fluxum, quod nec fieri cum fructu posset. Quare in hoc statu alia caussa humores ad caput dirigens inquirenda erit ætati magis congrua. Sic in pectoris adfectibus, si vir annorum 45 sanguinem spuit, ex idiopathica sanguinis congestione subsumi nequit profectam Hæmoptysin; proinde alia caussa, vel violenta, vel hærens in abdomine & viscere hypochondriorum cum motibus hæmorrhoidalibus forte cohærens, inquirenda erit. Si & ejusmodi motus in aliam ætatem incidunt, ratione prognoseos medicus hauriet, illos non fore regulares, sed multis ataxiis obnoxios, proinde nec ab Hæmorrhagicis motibus de reliquo adæquatis eumdem salutarem eventum sperandum, qui sperari sub justa ætate potest, eosque varias turbas daturos sanitati; id quod præcipue de irregulari successu Hæmorrhagiæ narium, hæmorrhoidum notandum. Unde medicus tales motus incongruos non prosequetur, sed potius discutiet rationaliter. Ex ætatis consideratione sciet & medicus, quod omnes adfectus, motus hæmorrhagicos quocumque modo supponentes, si ataxiæ in ordinem redigantur, multo citius & certius abigi queant & quod in cura eorum primario eo respiciendum sit, ut quantum fieri possit, congruo modo salutares Hæmorrhagici motus in ordinem dirigantur. Præterea cum constet omnes eruptiones sanguinis, si ætas haud conspiret, facilius cum congestionibus sopiri posse; inserviet ætatis consideratio & in hoc prognosi, ut, si v. g. Hæmoptysis invadat virum, sciat motus a pectore multo citius derivari posse, quam in adolescentibus; quare nec in viris hæmoptysis tantum phthiseos incutit metum. Ætatis consideratio porro manuducet medicum, ut adfectus secundum cognitionem caussæ internæ illi ætati solemnis congrue tractet. Hinc ex præsentia dolorum, angustiæ pectoris, tussis &c. in antecessum edoctus, quid illa sub debita ætate portendat, hæc pathemata tussis & asthmatis non calidis resolventibus expectorantibus, sed potius temperantibus, revellentibus, venæsectionibus ad avertendam Hæmoptysin tractabit.

§. II.

Quemadmodum ætas ob varias circumstantias morbis multis ansam præbet: ita cum omnia a diversitate temperamenti immutentur ratione

gradus

gradus, vehementiæ, ordinis aut confusionis, & a temperamento ipsi ætatum morbi diversum accipiant schema, nec in genere omnes adfectus omnibus temperamentis æque sint familiares; quam maxime convenit, ut inter caussas naturales respiciatur temperamentum. Etenim pro diversitate temperamenti variat motuum vigor, proinde humorum indoles, nec non partium solidarum, se- & excretiones; & hæ circumstantiæ omnes in caussa sunt, ut morbi pro temperamenti differentia differant, quin temperamentum sæpe morbi certi existat caussa. Cholerici impetuosi, activi, ex motuum vigore sanguine pollent summe fluido ac florido, & exinde potissimum ad spasmos, convulsiones, hæmorrhagias effrenes, dolores acutissimos, paucis, ad adfectus acutos impetuosos maxime proni præ sanguineis, qui non tanto gaudent motuum impetu, nec solidorum tono, nec sanguine æque sulfureis partibus ditato; unde potius sub iisdem accedentibus circumstantiis, rhevmatismis, stagnationibus, inflammationibus, hæmorrhagiis moderatioribus, si eveniunt, nec non debilitationibus ob partium laxitatem, plethoræ quoque ejusque incommodis magis, quam cholerici obnoxii. Melancholici ob animi motuumque lentorem ac humorum spissitudinem, magis proni ad infarctus viscerum, obstructiones scirrhosas, melancholicos hypochondriacos adfectus, febres quartanas &c. & quemadmodum constantissimi sunt ac pertinacissimi, ita & adfectus morbosi, si illi motibus nitantur, pertinacissime inhærent, & perdurant, licet sublata caussa materiali; id quod mere temperamento adscribendum. Ob strictum corporis habitum febribus acutis non æque expositi, nec illas æque feliciter superant, nec spasmi convulsivi ipsis adeo facile eveniunt, ubi autem, eo certe sunt pertinaciores. Phlegmatici animo torpidi, ac corpore naturaliter cachectico in consideratione ad reliqua temperamenta præditi, inclinant in morbos ex dyscrasia humorum mucido-vappida, comotasos, paralyticos, hydropes, ulcerationes, scabies, catarrhos suffocativos, coryzas, lippitudines &c. ex temperamenti sui indole naturaliter. Hæc omnia satis demonstrant, quod temperamentum diversorum morborum fieri queat caussa, dum ratione animi, motus humorum, constitutionisque solidorum magna adest diversitas, cui accedentes occasionales caussæ eo facilius grave momentum addunt, & morbos generant, sed tales, qui respondent temperamento. Probe itaque inquirendum in morbo, an etiam ratione temperamenti ad eum inclinent, & quatenus temperamentum naturalis ejus caussa existat. Exinde enim non modo remedia quadrantia eligi poterunt, sed & in antecessum constabit, quid de successu morbi & curæ sperandum sit, an

K reme-

remedia conducant activa aut leniora, quamdiu insistendum eorum usui, quid circa diætam & regimen observandum. Nec minus temperamenti scrutatio faciet ad materialem morbi caussæ cognitionem v. g. in variis congestionibus ab ætate pendentibus sæpe adest caussa sanguinea, sæpe vero serosa, illa urgens hæmorrhagias, hæc evacuationem becchicam. Quæ caussæ diversitas melius longe intelligetur, si consideres temperamentum. Cholericis enim & sanguineis purioribus de doloribus capitis conquiritantibus, facile medicus intelliget, caussam adesse sanguineam, & congestionem dolores inducentem tendere ad excretionem sanguinis per Hæmorrhagiam ætati congruam; phlegmaticos autem vel sanguineo-phlegmaticos sua pathemata obtusa, prementia, gravativa, contrahere ex stagnatione humorum a congestione serosa evacuationem becchicam respiciente. Quemadmodum etiam suppressio diversarum evacuationum diversos adfectus inducit Temperamento convenientes, & v. g. Hæmorrhagia narium suppressa infert ophtalmias sanguineas, rubores faciei, erysipelata, dolores capitis acutos lancinantes; coryza e contra infert ophtalmias serosas, inflationes faciei œdematosas, ulceratorias stases, dolores gravativos, tumores glandularum: ita, uti dictum, consideratio temperamenti non tantum ad meliorem materialis caussæ dignotionem, sed exinde potissimum ad congruam eligendam curandi methodum faciet; licet interim congestionis ad caput idem maneat respectus. Sic catarrhi suffocativi & asthmatis spastici differentia optime ex consideratione temperamenti illucescit; sic congestiones humorum versus pectus in melancholicis & cholericis siccioribus tusses pariunt siccas, scirrhos sanguineos, hæmoptyses &c. in sanguineis autem cum phlegmatico mixtis, tusses catarrhales, excretiones mucidas, scirrhos phlegmaticos producunt. Congestiones ad abdomen in siccioribus spasmos acutos colicos, Hæmorrhoidales, vomitus cruentos, scirrhos, hecticam, vel fluxus sanguineos inducunt; in humidis autem multas flatulentias, vomitus mucidos, loco Hæmorrhagiarum diarrhœas, vel his emanentibus obstructiones mucidas, cachexiam, hydropes, & ad dyscrasiam sanguinis mucido-vappidam disponunt multo facilius. Hic ubique respectu ætatis locus erit congestionis activæ considerandæ, caussæ materialis autem diversitas a priori in omnibus talibus adfectibus ex temperamenti examine quam clarissime patefiet. Unde etiam constabit recta horum adfectuum tractatio, eorumdemque præservatio secundum omnes necessarias cautelas. v.g. utrum in doloribus capitis adhibenda sint temperantia ant-orgastica, vel anticatarrhalia; venæsectiones, vel purgationes &c.

§. III.

§. III.

In consideratione caussarum naturalium medicus non minus respicere debet ad differentiam sexus; quæ non quidem per se absolute morbos ingenerat, sed quatenus in vario sexu variæ circumstantiæ occurrunt, quæ sua præsentia ad faciliorem certorum adfectuum in hoc sexu præ alio occasionem suppeditant. Quemadmodum autem diversitas sexus potissimum in organis genitalibus consistit, & variis ad generationem inde spectantibus requisitis: ita circumstantiæ pariter, quæ potissimum morbis occasionem largiuntur ab his organis diversis, & diversis ad generationem concurrentibus rebus petendæ sunt. Viri enim pro generatione sobolis sperma suppeditant, & pro ejus secretione instructi testiculis, hoc vero sperma non continuo excernitur, sed, dum interim ejus secretio perennat, continuo ad sanguinem regreditur. Qui humor, cum sit summe volatilis spirituosæ indolis elasticæ, & sanguini fortiorem motum & partibus majorem conciliat tonum, animique per indirectum majorem alacritatem. Hinc & viri robustiores feminis, & ob majorem tonum, ac fluidorum motum, quia primo ad recipiendas ex aëre injurias non adeo habiles, & deinde omnes secretiones melius vigent cum excretionibus, tantam non habent ad morbos proclivitatem, iisque superandis majoribus pollent viribus, habito tamen temperamenti & reliquorum respectu. Adeoque caussæ in viris sub morbis ordinarie supponuntur vehementiores, quam in feminis ad turbandam sanitatem aptæ. Cum hoc ipso generationis negotio junguntur in viris præcipue excretiones Hæmorrhoidales, vel saltem ad eas molesta molimina, quæ & inde viris præ feminis propriæ magis existunt, dum in his semper viget fluxus menstruus. Hæmorrhoides autem cum non semper ad fluxum perveniant in omnibus individuis, & idem fluxus facile turbetur, in priori casu molimina Hæmorrhoidalia gravia pathemata, in posteriori autem turbatio vel suppressio actualis fluxus longe periculosiora superius partim recensita, inducunt; sub quorum præsentia ratione sexus virilis semper habenda erit hujus fluxus ratio. Et sic per sexus circumstantias virilis magis inclinat ad hæmorrhagias narium, hæmoptysin, earumque consectaria proinde viri facilius corripiuntur adfectibus pectoris phthisicis & ejusmodi. In feminis eo major occurrit differentia, cur illæ præ viris variis morbis specialibus exponantur, dependens a generationis negotio. Circa pubertatem anno 14 ob fœtus respectum menses moliuntur, frequentissime erumpunt, qui impedite succedentes mirifica inducunt pathemata, cum tamen ante hunc terminum satis sanæ fuerint, & sic initium mensium

mensium sit initium morborum. Fluentes autem menses quot non in suo ulteriori successu ataxiis exponuntur in defectu, excessu, quæ anomaliæ circulum sanguinis per venam portæ & abdominis viscera non tantum turbant, sed & varias heteroclitas humorum ad remotiora loca metastases regurgitatorias caussantur, ubi in omnibus talibus adfectibus hæc circumstantia soli sexui propria maximam meretur considerationem. Deinde in feminis status graviditatis, & is iterum secundum diversas initii, medii & finis rationes, status puerperii, lochiorum fluxus, status lactationis considerandus, quæ differentiæ, sexus differentia innituntur, adeoque specifice feminas tantum morbis exponunt, a quibus viri immunes manent.

§. IV.

Ad naturales caussas, quæ in variis morbis occurrunt, concurrunt, & eos vel primario producunt, vel certe fovent ac protrahunt, pertinent corporis nostri humores, non universales tantum, sed & particulares ex universalibus secernendi. Universales sanguis, serum ac lympha, quatenus invicem commixti confusaneam humorum massam constituunt, sæpius ultra solitum augentur, & hinc capacitatem viarum, motuumque proportionem longissime exsuperant. Quæ abundantia humorum sub titulo plethoræ veniens, quam fœcunda existat morborum mater, a priori ex dictis facili deducitur, a posteriori in ipsis morbis perspicitur dilucide. Quapropter maxime opus est, ut medicus in talibus adfectibus, quæ partim a plethora induci solent, partim propter eam active a natura instituuntur, quales sunt variæ congestionum rhevmaticarum, spasmorum &c. species, inquirat, quatenus in individuo occurrat plethoricus status. Et profecto hic multo majore consideratione dignus est, quum receptæ inter multos hypotheses dyscrasiarum salsarum, acidarum &c. quæ spiculis suis rodant partes nervosas, & hinc varia pathemata spasticorum dolorum inducant. Quæ hypothesis multis noxiis & inutilibus tentaminibus ansam daret, nec multa correctione particularum sanguinis quidquam efficeretur in illis morbis, quos mera plethora ingenerat, sed potius totus adfectus in dies magis corrumperetur. Cavendum autem est, ne ex solo habitu athletico turgido, sanguineo ac rubicundo, plethora iudicetur; datur enim & plethora ad vasa, datur plethora commota, datur plethora particularis e. g. in malo hypochondriaco individua sæpe sunt macilenta, ut vix putares in illis quærendam esse abundantiam humorum, & licet hoc quoad reliquum habitum sæpe concedendum sit, in hypochondriis tamen adest humorum stagnatio, impediens liberum per abdominis viscera ad reliquas corporis partes transitum ac refluxum, va-

sa

ſa hinc venæ portæ & in viſceribus radicatos ramos neceſſario ultra ſolitum implens, diſtendens, & magis magisque motuum energiam eludens, unde in hoc patriculari loco abundant humores. Videndum porro eſt, quatenus cum plethora conjuncta ſit ſanguinis ſpiſſitudo, id quod utplurimum; ſiquidem & plethora motum ſanguinis impedit, & ob plethoram ſubjecta ad motus ſubeundos ineptiora redduntur; ut ſecundum hanc conſiderationem primum imminuatur plethora, quo deinde & ſpiſſitudini eo citius, certius & ſecurius, debitis adminiculis ſuccurri queat. Reſpiciendum pariter eſt ad reliquas humorum dyſcraſias ſub certis adfectibus morboſis, & videndum proinde, an humores ſint nimis ſulfurei, uti ſunt in variis ſanguinis ſpontaneis ebullitionibus ſub Hæmorrhagiis, congeſtionibus dolorificis &c. vel nimia ſeroſa aut mucoſa impuritate infecti, uti in catarrhis diuturnis, ſcabie, ulceroſis adfectibus &c. idque partim ex adfectus ſpeciali indole & ſymptomatibus, partim ex conſideratione vitæ generis, diætæ, temperamenti &c. concludendum. Particulares humores, ſaliva, mucus, urina, bilis, lacrymæ, axungia aurium, ſperma, quatenus in ſeparatis locis hærent, in ſeparatis earum partium adfectibus ſunt examinandi, an nimis abundent, an deficiant, quomodo ſe habeant ratione conſiſtentiæ, an nimis fluidi, an nimis ſpiſſi, quomodo a reliquis proprietatibus naturalibus ratione coloris, odoris &c. aberrent; & videndum, quatenus vitientur hi humores ab organo ſuæ ſecretionis, aut pro re nata excretionis, vel quatenus ipſi vitient ſuum organum, & ex impedita debita ſe- ac excretione alia loca remotiora, quin humores univerſales labem contrahant. e. g. hepar eſt organum ſecretionis bilis, adeoque bilis reſpectu hepatis particularis humor. Hujus legitima ſe- & excretio ſupponit debitam humoris craſin ratione conſiſtentiæ, ne partibus damnum inferat legitimam etiam craſin ratione indolis, non minus ſupponit hepatis legitimum ſtatum. Hinc bilis dyſcraſiæ variæ adfectuum hepaticorum evadunt cauſſæ, viciſſim hepatis vitium corrumpit craſin bilis eiusque plane ſecretionem impedit promtam. Bilis enim nimis ſpiſſa ſenſim hepatis poros bilarios, hinc organum ſecretionis & remotionis ulterioris, cum tempore ipſum ductum hepaticum ac cholidochum, & ſic organum excretionis, quin ipſam veſiculam fellis organum aſſervationis, infarcit ac obſtruit: hepar autem ex aliis cauſſis obſtructum vel humoribus præturgidum non admittit facilem ſe- & excretionem bilis, quare ob majorem moram vitium in craſi conſiſtentiæ ac indolis contrahit. Quia autem in utraque cauſſa bilis non ſufficienter ex ſanguine ſecedere poteſt, regurgitat ad ſanguinem, unde eveniunt febres bilioſæ, color icterodes, verus icterus, per-

petui interni orgaſmi ſanguinis, obſtructiones alvi, decolorationes fæcum &c. in omnibus his adfectibus facile patet, quod cauſſa adſit ex vitio bilis. Quare reſpiciendum erit, quatenus vitiata ſit ejus ſe- ac excretio, vel ab ipſius humoris dyſcraſia ſpiſſo-mucida, ac exinde vitiatur & hepatis ſymptomatice ductus, vel quatenus ab hepatis labe prægreſſa idiopathica corrupta ſit bilis, ut exinde & remotiores partes in conſenſum trahantur. Quemadmodum tamen hi humores particulares ex univerſalibus ſequeſtrantur; ita & ab eorumdem indole participant. Quare & ex eorum conditione cognoſcitur ſubinde univerſalium humorum indoles; niſi quidem, ut ſupra monitum labem contraxerint ex idiopathico ſuæ ſecretionis vel excretionis organi vitio. Sic ſudor, urina, lacrymæ, mucus, ſi vel quantitate excedant, vel in ſua craſi a naturali aberrent multum, indicant conſtitutionem ſanguinis vel nimis ſeroſam, vel ſulfuream, vel ſalinam, vel mucidam. Ex qua conſideratione ſimul patebit, adfectus tales particulares certarum partium v. g. oculorum, narium &c ex peculiari humoris, qui ibi ſecernitur & excernitur, conditione præternaturali ſymptomatice dependentes, non prius ſublatum iri, quam correcta ſufficienter tota humorum maſſa.

§. V.

Prouti humorum varia conſtitutio vel univerſalium vel particularium, univerſales aut particulares effectus exſerit, præcipue in partes ſolidas molles earumque motus: ita viciſſim ſolidorum differens ſtatus præternaturalis ſive univerſalis ſive particularis humores varie alterare obſervatur, & ex hoc fundamento humorum morborum eorumque itidem motuum evadere cauſſa. Hæc ſolidarum partium vitia fluidorum labem, ſive eam ipſa produxerunt, ſive ab alia cauſſa accedente acceſſerit, eo magis alunt & confirmant. Qua de re inquirendum etiam animo judicioſo erit ſub adfectibus morboſis, quomodo ratione toni ſe habeant muſculi, membranæ ac nervi, an ille nimis tenſus, an vero nimis remiſſus ſit; ſiquidem, uti dictum, hæc diverſitas non tantum in genere morbos humorum, ſed eos diverſos producit. v. g. atonia inteſtinorum ex quacunque cauſſa contracta producit flatulentiam, circulum ſanguinis per abdominis viſcera turbat, inde ſtagnationes, ex ſtagnationibus ſpiſſitudo, ex hac ſecretionum torpor, unde dyſcraſiæ variæ, mucidæ, bilioſæ, ſalinæ, paucis, omnia mali hypochondriaci ſymptomata. *vid. Excell. Dn. D. Stahl diſſert. de malo hypoch.* cum tamen de reliquo ante acceſſum atoniæ humores ſatis exſtiterint legitimi. Sic ventriculi atonia debilitat concoctionem, elaborationem ac diſtributionem chyli, cruditates hinc augentur non tantum primarum viarum, ſed

& ſucceſſive humorum, quare ex atonia ventriculi malum idem hypochondriacum confirmatur, nec non vitia hepatis, glandularum meſaraicarum ſucceſſive producuntur & febres variæ intermittentes. Atonia uteri ſteriles reddit feminas, fluxum menſtruum turbando, & conceptionem impediendo. Atonia generalis muſculoſarum partium innumera mala producit, & præcipue plethoræ accremento cum cachexia conjunctæ amiciſſime favet. Pariter ſe res habet, ubi tonus nimis tenſus eſt, quippe tunc impedit liberum humorum progreſſum, varias ad alia loca inconditas regurgitationes efficit, quæ vero penitius expendere me non attinet. Circa tonum tamen nimis intenſum ſub ſpaſmi prræſentia paucis addo, probe examinandum eſſe, quatenus ille active aut paſſive eveniat, active ut plurimum propter evacuationes humorum impetrandas. Circa atoniam vero videndum, utrum illa ex humoribus in partibus ſubſiſtentibus iisque vitiatis, vel alia externa cauſſa accidat, an vero toni remiſſio ex cauſſa morali, mœrore, triſtitia, metu profecta, & ſic humoris a poſteriori induxerit vitium in illa parte, quæ ſpeciatim affligitur. Quæ omnes circumſtantiæ ponderandæ ſunt, ut cauſſæ variæ eumdem effectum producentes rite diſtinguantur, & in medendi methodo nulla confuſio oriatur.

§. VI.

E rebus, quæ ſanitatem varie turbare valent, ſunt res ita dictæ ſex non-naturales, & inter has primo loco ponenda Excreta & Retenta. Ubi conſiderandum in genere, utrum, quæ naturaliter excerni debent, juſte, debite, ordinate ac ſufficienter excernantur ad proportionem ingeſtorum & ſtatus individualis, an vero in hoc quicquam deficiat vel excedat. Jam vero excretiones ſunt vel naturales, vel artificiales, eæque aut univerſales aut particulares humorum vel univerſalium vel particularium. Primo itaque loco excreta naturalia ponderabo, quorum univerſaliſſima exiſtit excretio per peripheriam, tranſpiratio dicta inſenſibilis, quæ parum aucta diapnöe, auctior & hæc ſudor appellatur. Hæc excretio quemadmodum continuo ad omnia momenta reſpective contingit plus minusve, & per eam eodem gradu multæ particulæ ſeroſo-ſalinæ, ſulfureæ volatiliores, perpetuum exhalant, ideoque univerſaliſſimæ, reſpectu totius corporis, exiſtit utilitatis: ita & eadem vehementius turbata in ſuo ſucceſſu debito generaliſſima morborum evadit cauſſa, ac infinita mala producit, & ſucceſſive ad dyſcraſias humorum ſeroſo-ſalſas, ſulfureas acres, mucido-vappidas, pro diverſitate temperamenti, diſponit, ipſis ſolidis partibus infert damnum, nec non ipſos motus alterat,

febri-

febribus anſam dat catarrhalibus, acutis, malignis petechizantibus. *vid. diſſert. Stahl. de tranſpiratione impedita.* Multo autem excellentius evadit damnum, quando hæc excretio ſub qualicunque ſui augmento turbata & ſimul ac ſemel repreſſa fuit, præcipue, ſi ſudores ſpontanei certis temporum periodis redeuntes inhibentur. Inſuper, cum hæc excretio maxime ſit univerſalis loco, utilitate & neceſſitate, in omni morbo exinde ad ejus ſucceſſum reſpicere debet medicus, quatenus ataxiæ ejus vel primario morbo anſam dederunt, vel ſaltem concurrentes eumdem deteriorant. Maxime tamen in illis individuis, quæ ratione laxioris corporis naturaliter magis ad diapnöen inclinant præ ſtrictioribus, ac abundant lympha, ſero mucoſo imprægnata. Qui ſi variis catarrhis capitis & pectoris, diarrhoeis cum torminibus ventris junctis, gravitatibus artuum infeſtantur, aut ubi adfectus indoles ſatis clare demonſtrat cauſſam ſeroſam, ubi & varii urgent ſpaſmi, ſtranguriæ, dyſuriæ, arthritis vaga &c. opus eſt inquirere, an ad ſudores fuerint proclives, an illi turbati ſint in ſucceſſu, utrum admiſerint auram frigidam, ob ſie ſich etwan erkältet, præſertim ſub certis aëris conſtitutionibus circa verem aut autumnum; ubi plurimi dicti ortum ſumunt ex turbata tranſpiratione. Interdum in particularium locorum ſudores inquirendum, axillarum, inguinum, pedum, quando præter reliqua ſymptomata tumores in illis locis urgent glandularum, rhevmatiſmis circa iſtas partes ſtipati, aut ſimul pertinaces fiunt ſeroſæ ad caput congeſtiones, aſthmata inſuper & tuſſes inducuntur, an forte ejusmodi particulares ſudores ſolemnes ſuppreſſi ſint, quamdiu, quibus cauſſis externis aut internis, qua medicatione incongrua; ut proinde eo melius ex ſpecialis hujus cauſſæ cognitione particularis, per conſenſum tales univerſales inducentis effectus, conſilium formari queat de revocandis, ſi fieri poſſet iſtis particularibus excretionibus, aut ſubſtituendis aliis convenientibus analogis. Per dictam tranſpirationem ordinariam cum ordinariæ humorum impuritates ordinarie excernantur ſub halitus, diapnöes, aut ſudoris forma; ita ſi quæ adſunt in corpore qualitate multum deteriores, hæ quidem itidem cum hac peripherica excretione iisdem motibus ad cutem protruduntur, ſed varias exanthematum ſpecies conſtituunt. Quare etiam ſub examine in hanc excretionem periphericam inprimis ſub adfectibus infantum ac puerorum (quibus præ aliis ob abundantiam lymphæ ac ſeri exanthemata ſunt ſolemnia;) nec non in adultioribus, ubi variæ adſunt oppletiones pectoris, tuſſes ferinæ &c. nec aliæ cauſſæ quadrant, exploretur, an forte adfuerint effloreſcentiæ cutis ſca-

ſcabioſæ, tinea, capitis cruſta lactea, pro diverſitate ætatis: in pueris, an habuerint familiaria iſti ætati exanthemata variolarum aut morbillorum, ad quæ in talibus ſemper eſt reſpiciendum, ubi citra notabilem aliam cauſſam incurrunt commotiones febriles cum ſymptomatibus variolis & morbillis frequentibus, aut cum his aliquid adfectus habent analogi. Hodie per diætam nimis calidam, ſub aëris tamen epidemica conſtitutione haud quadrante, & per contagium maxime, populariter regnat purpura, & vix non omnibus tantum accedere morbis obſervatur. Proinde & ſub adfectibus, quo ſunt intricatiores & a conſueto ſuo genio alieniores, ſemper ſuſpicio veniat hic ſaltem locorum, de latitante complicata purpura, ac totus adfectus cum ſumma circumſpectione tractetur; eo magis hoc obſervandum, cum & ipſa purpura idiopathica alius ſæpe morbi larva ſe tegat e. g. febrium intermittentium, ſpaſmorum, convulſionum, epilepſiarum, vomituum, veſicæ & urinariorum organorum adfectuum &c. Quo vero melius conſtet de ſpeciali hac ſymptomatum, ſæpe mirabilium, cauſſa purpuræ, quærantur ægri, an inclinent ad purpuram, an ea aliquando jam effloruerit, an adſint diverſa ejus ſigna attendatur, v. g. pruritus cutis & odor ſudoris ſpecificus ille acidus. Saltem in diſpoſitis ad purpuram ratione temperamenti & delicatioris vitæ generis, maxime in feminis, & puerperis, ſæpe præſumenda erit latitans hæc concurrens cauſſa, & ſic ab omni medicatione impetuoſa, calida, abſtinendum. In certis adfectibus, vel eorum immutationibus examinandum, an plane purpura retroceſſerit; quippe hæc vel impedite erumpens, vel magis adhuc retrocedens incredibilia producit pathemata. Excretiones reliquæ univerſales quidem reſpectu utilitatis, ac individualis ſucceſſus, ratione temporis tamen & loci particulares, ſunt urinæ ac fæcum alvinarum, quæ pariter in omni morbo fere reſpiciendæ. vid. ſup. §. ult. præc. cap. Præſertim circa urinam obſervandum, an illa ſufficienter fluat, in conſiſtentia, calore & indole individuo accommodata recte ſe habeat, an vero ſub certis adfectibus deficiat, & ſic præcipue impedita ſe - vel excretio multis pathematibus præbeat anſam, ut fieri ſolet ſub adfectibus ſpaſticis veſicæ, renum nephriticis, calculoſis itidem ſpaſticis, ubi per impeditam potiſſimum urinæ ſecretionem impuritates in ſanguine remanent, dyſcraſia inducitur ſalſa & ſulfurea, unde ſudores penitus excernuntur urinoſi; nec non exinde, ſi præcipue ſudores non reſpondeant, tumores œdematoſos, anaſorcodes, quin aſciticos inductos fuiſſe, paſſim teſtantur auctores. Circa

L alvi-

alvinam excretionem consideretur, an illa debite succedat, an obstructa sit, & pathemata proinde anxia, flatulenta, asthmatica, capitis dolores, punctiones laterum &c. inferat, vel augeat. In certis circumstantiis excretorum per alvum habenda erit ratio, & v.g. in pueris, qui atrophici sunt sine intumescentia & duritie ventris, sine febre &c. ubi & reliqua conspirant, an vermes unquam per alvum excreti fuerint, inquiratur si & requirat necessitas, dentur anthelmintica secura, quæ simul aliis respectibus, resolutioni & depurationi humorum satisfaciunt, subjunctis tutissimis laxantibus, & injungatur, ut sub depositione alvi fæces examinent, utrum cum illis verminosa quædam pullities excernatur. Sub aliis circumstantiis examinanda fæces ratione odoris ac coloris peregrini, ubi cavendum, ne ex medicamentis aut cibis, vel potibus alteratæ falso dijudicentur.

§. VII.

Ad excretiones particulares maxime ratione loci pertinent hæmorrhagiæ, vel quæ in aliis temperamentis supplent earum locum becchicæ serosæ evacuationes. Hæ excretiones cum loco differant pro differentia ætatis, uti superius dictum, hinc in adfectibus variis ad differentem illum Hæmorrhagiarum successum respectu loci respiciendum erit. In puerili ætate congestiones hæmorrhagicæ ordinarie versus caput contingunt, & sanguinis eruptionibus vel plane non, vel difficulter succedentibus vestigia legunt multa pathemata cephalalgica, hebetudines sensuum in- & externorum, ophtalmiæ, otalgiæ, convulsiones, adfectus faucium inflammatorii &c. in quibus omnibus adfectibus examinandum, an individuum inclinet ad hæmorrhagias narium, an suppressæ, quomodo & quamdiu, an ex eo tempore maxime viguerit adfectus. Aut si in aliis temperamentis pathemata serosam magis indolem arguunt, dolores magis sunt obtusi, varii adsunt catarrhales adfectus, inquiratur, an frequens fuerit coryza, vel saltem copiosa muci per nares ordinaria excretio, vel aliæ becchicæ evacuationes per sputationes periodicas, manationes aurium, oculorum &c. & an illæ succedant adhuc pro solito, nec ne; quo de caussa ex his omnibus cohibitæ, vel sanguineæ, vel serosæ excretionis, adfectum vel sanguineum, vel catarrhalem producentis melius constet, & omnia tam diagnostice, quam practice accuratius distinguantur. In provectioribus, ubi pectoris urgent adfectus, semper respiciendum ad congestionem activam evacuationem quamdam intendentem. Proinde quærendum,

utrum

utrum in pueritia frequentes habuerint hæmorragias narium, vel earum loco coryzas aut catarrhales adfectus circa caput cum notabili evacuatione ſtipatos, (ſi nempe in pectore magis adparent pathemata mucida) utrum excretio ex pectore becchica jam adfuerit, per notabile autem tempus ceſſaverit cum ſuccedente in locum aſthmate &c. an vero in aliis temperamentis plane præceſſerit hæmoptyſis, vel utrum aliæ læſiones pulmonum cum notabili conjunctæ evacuatione, uti fit in peripnevmonia. Sub ulteriori ætate, ubi inſtant varii hypochondriaci motus, colici dolores, vomitus vacui, nephritici adfectus, calculoſi, ſpaſmi veſicæ, malum iſchiadicum, podagra, gonagra, vel in aliis temperamentis multæ flatulentiæ, colicæ mucidæ, ſtupores, paralytodei tumores pedum, ſemper reſpiciatur ad evacuationes, vel ſanguinis in prioribus per hæmorrhoides, vel in poſterioribus ſeri ſanguinis loco per diarrhœas periodicas, diureſin largiorem, vomitus mucidos, ad ſummum hæmorrhoides albas mucidas. Hinc examinetur, utrum ſubjectum umquam habuerit fluxum hæmorrhoidalem internum, aut externum, vel tantum cæcas hæmorrhoidum excreſcentias, quamdiu fluxerit, quam ordinate, quibus modis & quamdiu ſuppreſſus vel in ataxias conjectus; an vero diſpoſitio certe vel ex peculiari jure hæreditario ad hunc fluxum adſit, vel ex prægreſſa ætate in genere, ubi fuerunt congeſtiones & evacuationes ſanguinis per nares aut ex pectore. Quando pathemata non adeo acuta inſtant, ſed magis obtuſa in abdomine ac pedibus, quærendum, an in juventute adfuerint multæ coryzæ, tuſſes mucidæ catarrhales, & in ulteriori ætate in harum locum ſucceſſerint diarrhœæ ſpontaneæ periodicæ, diureſes, ſudores pedum, an & hæc & quatenus ſuppreſſa. Et hæc omnia in viris.

§. VIII.

In feminis enim omnium excretionum fere locum ſupplet menſtrua purgatio. Quæ quemadmodum rite ſuccedens ſanitatem optime tuetur; ita quocunque turbata modo lernam malorum inducit. Et cum omnibus feminis ſolemnis ſit, ob varias autem cauſſas maxime ataxiis expoſita, & illæ tantum non unica cauſſa ſint morboſorum ſymptomatum in feminis: hinc, ubi feminæ ægrotant, ſemper ad hanc excretionem erit reſpiciendum, & quærendum, quomodo menſes habeant, an excedant, an deficiant, vel in totum, vel in tantum, quamdiu deficiant; & hæc quæſtio eo magis per circumſtantias eſt ingerenda, quo frequentius femi-

næ dicere ſolent,quod omnia legitime habeant; ubi enim adfectus hyſterici urgent, & his ſimiles, ſemper de quibuscunque ataxiis menſium valebit ſuſpicio. Quando menſes fluunt, inquirendum per quot dies, quanta copia, ut conſtet, an reſpectu temperamenti, vitæ generis, diætæ, ſit ille ſufficiens & proportionatus fluxus; & ſic in puellis ſciſcitandum, an menſes plane nondum habuerint, cum tamen per ætatem debuiſſent & potuiſſent. Quia autem hic fluxus varie naturaliter infringitur ſub graviditate & lactatione ſemper videndum in adfectibus feminarum, an maritatæ ſint, nec ne, an gravidæ nec ne, an lactantes nec ne. Et ubi in maritatis extra has circumſtantias hyſterica urgent pathemata, inquiratur, an habuerint liberos, quando ex puerperio ultimo evaſerint, an in illo lochiorum fluxus legitimus fuerit cum juſta receſſione ſecundinarum, & an poſt puerperium redierint menſes, nec nec, quo melius conſtet, ſi forte ex puerperio contraxerint menſes labem. Idque medico occaſionem præbebit, ulterius expiſcandi in ſtatum uteri & partium connexarum. Excedente fluxu menſtruo in maritatis, inquiratur, an demum poſt puerperium talis evenerit, & quantum ſit irregularis ratione menſtruæ periodi; ex quo probabiliter medicus hauriet pro cauſſa excedentis fluxus vitium qualecunque uteri ac genitalium ex puerperio contractum, idque in hoc vel per medicationem præpoſteram, vel per obſtetricem incautam, vel per remanentes ſecundinarum portiones ex quocunque incongruo regimine animi corporisque. In non maritatis, aut viduis, ubi excedunt menſes, probe tamquam cauſſa, temperamentum, conſuetudo, vitæ genus, diæta, medicatio ſub pathematum hyſtericorum exacerbatione ponderanda, quæ ſi non conſpirent, ſuſpectus ſemper erit immodicus talis fluxus. Pariter ſub graviditate hic fluxus reſpiciatur menſium, quatenus quidem ad tempus naturaliter per & propter fœtum ſuppreſſus, interim plethoram, cui conſumendæ fœtus, neglectis voluntariis corporis motibus, haud ſufficit, nimium adauget, circulum ſanguinis graviter turbat, colicis anotericis, ſuffocationibus, Hæmoptyſi, narium Hæmorrhagiis incongruis iisque enormibus occaſionem ſuppeditat, aut pro re nata fluxibus uterinis irregularibus, moliminibus hæmorrhoidalibus favet, paucis ad abortum diſponit, & ſi hæc diſpoſitio vel unico animi pathemate confirmetur, inducit eumdem. Quæ conſideratio juſtæ cauſſæ, juſtam indicabit methodum. Sub puerperio numquam non habenda eſt ratio fluxus lochialis, cujus ataxiæ varias febres lochiales, inflammatorias genitalium, acutas, malignas, purpuratas

ratas

ratas albas &c. inducunt. Quare ſciſcitandum, an ille pro ſtatu individui plethorico, temperamenti, conſuetudinis, prægreſſorum lochiorum conditione ſufficienter fluat, nec ne, vel plane ſuppreſſus ſit; & licet dicant, quod ſufficienter fluat, uti ſuperius de ordinario menſium fluxu dictum, ſi tamen pathemata urgent imi ventris, numquam medicus dictis habeat fidem, ſed congruo & circumſpecto pergat conſilio. Reliquæ excretiones particulares, lactis, ſpermatis, lacrymarum, axungiæ aurium, muci, ſemper in vitiis organorum, in quibus ſecernuntur, & per quæ excernuntur, aut in labe partium, quæ cum illis organis quocumque modo conſpirant, conſiderentur ratione quantitatis, ac qualitatis, & quatenus remotiores partes exinde in conſenſum trahantur & adficiantur.

§. IX.

Quantum attinet ad excreta artificialia, occurrunt evacuationes ſanguinis per venæſectiones, ſcarificationes, adplicationes hirudinum, quæ an juſte adminiſtrentur, an adſuetæ neglectæ ſint, ſub pathematibus a plethora profectis inquirendum. Seroſæ autem per ſetacea, fonticulos, laxationes, diureſes, ſudationes in balneis aut pediluviis, in adfectibus certis præcipue catarrhalibus reſpiciantur eodem modo; ubi & interdum ulcera antiqua, fonticulorum vicem gerentia, & conſolidata incaute ſub certis circumſtantiis examinanda obveniunt.

§. X.

Aër diſponit ad multos morbos *vid. Dn. D. Præſ. diſſ. de efficac. aër. ad generand. morb.* non quidem per ſe in abſtracto, ſed in concreto conſideratus, quatenus variis heterogeneis commixtus particulis, & in adfectionibus caloris, frigoris, ſiccitatis, aut humiditatis nimis alteratur. Convenit proinde eo magis ad aëris conſtitutionem reſpicere, quo magis ille eſt cauſſa morborum univerſalis. Et cum aëris notabiles alterationes potiſſimum morbos inducant, quando evadit ille ultra ſolitum calidus, vel ſiccus, vel humidus, frigidus, vel ſiccus, vel humidus; & tales alterationes maxime eveniant circa notabiles quatuor temporum anni revolutiones: hinc in morbis, qui tunc obveniunt & omni jure temporum morborum nomine inſigniuntur, in aëris veram conditionem inquirendum erit quibuscunque mathematicis aut phyſicis adminiculis. Hæc enim aëris varia conſtitutio, cum ſit cauſſa communis, communes præterea mor-

bos inducit epidemice grassantes. Quare & ista aëris disquisitio sub hoc statu faciet ad meliorem morborum caussæ cognitionem, prognosin & methodum. Circa ipsam diagnosin talium ex aëre epidemice grassantium adfectuun sæpe potest impingi, schemata siquidem eorum sæpissime per individua variant, & acuti maligni sub initium intermittentem quamdam mentiuntur. Ubi medicus, si attendit constitutionem epidemicam, & insimul contulerit statum aliorum ægrorum, qui eodem tempore decumbunt, facile patebit, in quantum justa adsit suspicio de vera morbi maligna caussa. Et certe sub talibus circumstantiis præsumendum, quod hoc vel illud subjectum conquiritans de symptomatibus morbosis, eamdem contraxerit ex aëre caussam valetudinis, quam multa alia, licet ipsum schema variaret. Proinde & in methodo medendi certius procedi poterit, nec non in præservandis sanis adhuc ab infectione corporibus.

§. XI.

Ex rebus non-naturalibus, quæ evadere possunt morborum caussæ, consideretur etiam vitæ genus, quod an mobile sit, an sedentarium, quo gradu mobile, quo gradu sedentarium, & an labores perficiantur membrorum agitationibus, vel tantum multis sermocinationibus, clamoribus, cantationibus &c. inquiratur. Idque sub variis adfectibus, in quibus vel adest insignis orgastica humorum commotio, aut ubi supponitur sanguinis spissitudo, ac dyscrasia. In morbis opificum examinandum, quod habeant opificii genus, ut constet, quatenus ex laborum specialium indole & rerum materialium, quas tractant, proficiscatur adfectus. *vid. Ramazin. tract. de morbis opific.* Conjungatur simul examen ciborum ac potuum, in genere diætæ, an sit plena ac lauta, nec ne, an eupepta, an dyspepta, utrum cerevisiaria, vinosa, aquosa, regularis aut irregularis, peculiares in victu & diæta consuetudines respiciantur, errores forte noviter commissi sub certis adfectibus primarum viarum & ex hinc enascentibus. Circa motum & quietem respiciatur, an pro conditione assumtorum respondeat etiam motus corporis, an vero ex eo neglecto provenerint atoniæ partium, humorum nimia abundantia, spissitudo, dyscrasiæ & ex his scaturientes morbi, utrum motus, si administrantur, moderati sint, an impetuosi, an constantes, an tantum per vices suscepti &c. utrum vero nullus plane administretur motus sub nimia quiete, quomodo se habeant somnus ac vigiliæ, & ad instar omnium sciscitentur animi pa-

the-

themata; ad quæ tamquam caussam immaterialem potissimum dirigendus animus in adfectibus vehementibus epilepticorum convulsivorum motuum, in lipothymiis, vomitibus biliosis, colicis spasmodicis, Hæmorrhagiis enormibus, aut quando eædem naturales supprimuntur simul & semel cum aliis salutaribus excretionibus sudoris &c. quando retrocedunt exanthemata & efflorescentiæ in cute &c.: ubi & inter caussas immateriales ratio habenda dispositionis hæreditariæ, quæ potissimum motibus innititur; ratio habenda consuetudinis universalis aut particularis. Et circa caussas proximas eo felicius detegendas, (cum tamen in remotiores numquam non inquirendum, quæ nisi removeantur & præcaveantur, adfectus semper recrudescet.) sæpius quæstio proficit ægro prolata, an ipse nesciat caussam malorum arguere, unde evenerit adfectus, qualem suspicetur ad minimum; an forte caussa externa violenta sub certis morbis accesserit, vel præcesserit, v.g. luxatio, contusio, lapsus, ictus, allisio, vulneratio occulta &c. Deinde ex consideratione status prægressi, morborum prægressorum, medicationis sub iis methodi plures utiles patebunt circumstantiæ. v.g. si sub ventris intumescentia, pallore cachectico, tumoribus pedum, constet ex examine, prægressam febrem, constet, diversa incongrua adhibita, eamdem suppressam, constet, quamdiu suppressa, quibus specialiter remediis, melius sane medicus connexionem status & caussarum introspiciet, & quatenus posteriora pathemata pro caussa prægressum morbum agnoscunt incongrue tractatum. Latius hæc omnia deduci possent hactenus dicta, & præcipue circa specialem ordinationem medicamentorum multa addi, imo integrum volumen specialissima deductione expleri; sed recordor, me jam terminos dissertationis transgressum fere esse, quare plura non addam, sed ultimo DEO humillimas persolvens gratias huic meæ excercitationi impono

FINEM.